



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio V. De Constitutivo Ecclesiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

Juxta hanc eandem regulam, inter apostolicas traditiones merito computamus festum Paschæ, festum Nativitatis & Ascensionis Christi, festum Pentecostes, caeremonias in baptismo adhiberi solitas, &c. Licet enim hæc & alia multa, si non essent instituta ab Apostolis, ab Ecclesia institui potuerint, tamen ex eo quod semper servata fuerint in universa Ecclesia, ab Apostolis profecta, & viva voce primitivæ Ecclesiæ tradita, rectissime creduntur.

IV. regula. Si quando Patres omnes, seorsim scribentes, communi consensu docent aliquid de traditione apostolica descendere, velut ab Apostolis viva voce traditum, indubitate tenendum est.


Ratio est, quia idem sentit universalis Ecclesia, quod sic Patres omnes, etiam seorsim scribentes, communi consensu docent. Sed quod universalis Ecclesia sentit de traditione apostolica descendere, certo certius ex ea descendit; alioquin universalis Ecclesia errare potest in materia fidei, quod absque hæresi dici non potest. Ergo, &c.

Potest rectè addit Bellarminus sufficere, si aliquot ex antiquioribus & magni nominis Patribus asserant aliquid traditum esse ab Apostolis, & ceteri ejusdem rei meminerint, nec contradicant: tunc enim sententia veterum illorum Patrum merito censetur esse omnium aliorum, adeoque & ipsius universalis Ecclesiæ sententia. Ratio est, quia quando aliquis veterum Patrum graviter erravit in materia fidei, nunquam non fuerunt multi alii, qui contradicerent.

V. regula. Illud certò tenere debemus venire de apostolica traditione, quod pro tali habetur ab Ecclesia apostolica, in qua integra & continuata est successio Episcoporum ab Apostolis, hoc est, in qua ascendendo per Episcopos sibi invicem succedentes, pervenitur ad Apostolum à quo fundata est, nec probari potest quod ab aliquo ex illis Episcopis nova doctrina introducta fuerit.

Ratio est, quia tunc sufficienter constat, in tali Ecclesia puras & integras conservari traditiones Apostolicas. Hanc regulam tradit S. Irenæus lib. 3. cap. 3. & post eum Tertullianus in libro de præscript. c. 21. ubi hæc scribit: *Quid (Apostoli) prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod ajunt, voce, quam per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, que cum illis Ecclesiis apostolicis, matricibus & originalibus fidei conspirat, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit.*

Potest cum in nullis Ecclesiis apostolicis, excepta Romana, integra & certò continuata successio ab Apostolis invenitur jam à multis sæculis, jam à multis sæculis hæc quinta regula quadrat in solam Ecclesiam Romanam, in qua certa est successio, quamque nulla unquam novitatis labes infecit: quapropter ex ea sola certum haberi potest argumentum ad probandas traditiones apostolicas, atque de ea etiam nunc jure merito cum Irenæo, loco proximè citato, dicimus: *Maxime & antiquissima, & omnibus cognita, à gloriofissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Rome fundata & constituta Ecclesia, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes; confundimus omnes eos, qui quoquomodo per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cecitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt.* Hactenus de regulis, quæ assignari possunt præter Concilium generale, & definitiones summorum Pontificum, ab Ecclesia receptas, de quibus aliàs suo loco. Nunc sit



DISPUTATIO V.

De Constitutivo Ecclesiæ.

Ecclesia, quæ græcè idem est, ac evocatio vel convocatio latine, variè in Scriptura accipitur. Et 1. quidem, pro societate impiorum, ut Plal. 25. ubi dicit David: *Odium Ecclesiam malignantium.* 2. Pro cætu hominum ethnicorum, ut Act. cap. 19. ubi de populo Ephesino dicitur: *Erat enim Ecclesia confusa.* 3. Pro cætu fidelium, ut Act. cap. 12. ubi legitur: *Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* 4. Pro locis sacris, & templis, in quibus fideles conveniunt, ut 1. Corinth. cap. 11. ubi sic ait Apostolus: *Convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos.* 5. Pro iis qui præsumunt fidelibus, seu pro Episcopis; ut Matth. cap. 18. ubi sic loquitur Christus: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* 6. Pro cætu fidelium omnium, ut Matth. cap. 16. ubi Christus ait Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* 7. Pro cætu aliquorum tantum fidelium, ut 1. Cor. c. 1. ubi his suam epistolam exorditur verbis Apostolus: *Paulus... Ecclesia Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, &c.*

Ecclesiam catholici Doctores solent dividere in Ecclesiam triumphantem & militantem. Ecclesia triumphans est cætus beatorum, qui cum Christo regnant, & æternum regnaturi sunt in patria. Ecclesia militans est cætus hominum in via profitentium fidem Christi, & sub vexillis ejus militantium. De Ecclesia militante hic perpetuò agitur, & subdividitur in universalem & particularem. Ecclesia particularis est cætus hominum fidem Christi profitentium sub uno vel pluribus Episcopis, ut Ecclesia Tullenfis, Ecclesia Gallicana, &c. Ecclesia universalis est cætus universus hominum fidem Christi profitentium sub Episcopis, & summo in terris Christi Vicario Romano Pontifice. Hoc secundo sensu semper Ecclesia sumitur, quotiescumque simpliciter nominatur Ecclesia.

Dari veram Christi Ecclesiam fide certum est, & apertè docent Scripturæ, Symbolum Apostolorum, & Symbolum Constantinopolitanum, nec diffidentur hæretici, contra quos hic disputabimus. Contra ethnicos verò probatur omnibus argumentis, quibus suo loco demonstrata est religionis christianæ veritas. Supposita igitur veræ Christi Ecclesiæ existentia, quaeritur quænam sit vera ejus definitio. Sed antequam resolvì possit hæc quaestio, duo alia quaerenda sunt, nempe quinam sint, & quinam non sint de Ecclesia?

Non esse in vera Dei Ecclesia infideles non baptizatos, & diversam à christiana religione sectam proficientes, apertè docet Apostolus 1. Corinth. c. 5. cum ait: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Major est difficultas de catechumenis, schismaticis, hæreticis, apostatis & excommunicatis, de quibus seorsim agendum est sequentibus Articulis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Catechumeni sint de Ecclesia.

RESPONSIO.

Catechumeni non sunt in Ecclesia. *Prob. 1.* Ex Script. Nam Act. cap. 2. dicitur: *Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, & apposita sunt in die illa anime circiter tria millia.* Ex quibus verbis apparet eos, qui crediderunt, non fuisse in Ecclesia, nisi postquam baptizati fuerunt.

Prob. 2. Ex Patribus. Nam sic loquitur Gregorius Nazian.

Nazianz, orat. in sanctum baptisma: *Quandiu in catechumenorum es numero, in vestibulo pietatis es: introgendum tibi est, pertransendum atrium, sancta inquenda, &c.* Et S. Chrysost. hom. 24. in Joan. *Alienus est catechumenus à fidei; non habet idem principium, non eandem civitatem, non eundem parentem, non vultum, non vestitum, non mensam, non castrum, non domum, nihil commune.* At si catechumenus est tantum in vestibulo, si non habet eandem civitatem, eandem domum cum fidei, si nihil est utrique commune, cum fidei sit in Ecclesia, ipsum foris esse necesse est.

Prob. 3. Ex Eugenio Papa in instructione Armenorum, ubi sic loquitur: *Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vite spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficitur Ecclesia.* Ergo catechumeni, cum baptizantur, incipiunt esse membra Christi & de corpore Ecclesiae, adeoque non sunt de corpore Ecclesiae ante baptismum.

Obj. Nemo salvari potest, nisi sit in Ecclesia. At qui catechumeni salvari possunt sine baptismo in re suscepto. Ergo catechumeni ante baptismum in re susceptum sunt in Ecclesia. Minorem disertè asserit S. Ambrosius in oratione de obitu Valentiani junioris, qui cum adhuc esset catechumenus, interfectus est; & ratio convincit, quia catechumenus justificari potest cum voto baptismi. Major verò probatur ex Conc. Lateranen. IV. cap. *Firmiter*, ubi dicitur: *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur.* Idem magno consensu docent Patres.

Resp. dist. maj. Nemo salvari potest, nisi in Ecclesia sit vel in re vel saltem in voto, C. maj. In re, N. maj. & concessa min. dist. cons. Ergo catechumeni ante baptismum in re susceptum, in Ecclesia sunt in voto, C. cons. In re, N. cons. Itaque ex eo quod catechumeni salvari possunt sine baptismo in re suscepto, non sequitur, quod sint actu in Ecclesia ante baptismum, quia ad justificationem, adeoque ad salutem, modò alia non desint conditiones ad id requisita, votum suscipiendi baptismum, proindeque votum ingrediendi Ecclesiam sufficere illis potest.

Dices. S. Augustinus tract. 4. dicit catechumenos esse in Ecclesia. R. dist. Dicit catechumenos esse actu in Ecclesia. N. Esse potentia, C. Huius responsionis bonitas probatur ex lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos, ubi sic eos alloquitur: *Nondum quidem adhuc per sacrum baptismum renati estis, sed per crucis signum in utero sanctae matris Ecclesiae jam concepti estis.* Agat itaque hac mater congruis alimentis prius pascere quos portat, ut post partum lateat se tales suscepisse, quos spiritualiter nutriat. Catechumeni igitur, juxta S. Augustinum, se habent ad Ecclesiam, sicut homines tantum concepti, & nondum nati, se habent ad rempublicam. Tales autem non sunt actu, sed potentia tantum partes & membra reipublicae; nec incipiunt esse actu partes & membra reipublicae, nisi cum nascuntur. Ergo, juxta S. Augustinum, catechumeni sunt potentia tantum partes & membra Ecclesiae, nec incipiunt esse actu partes & membra Ecclesiae, nisi cum renascuntur per baptismum.

ARTICULUS II.

Utrum Schismatici sint de Ecclesia.

RESPONSIO.

Schismatici non sunt in Ecclesia.

Prob. 1. Ex praxi universalis Ecclesiae, quae in die Parasceves orat pro schismaticis, ut eos Deus ad Ecclesiam catholicam revocare dignetur. At hoc certe non oraret, si non sentiret eos esse extra Ecclesiam.

Prob. 2. Ex Pelagio Pontifice 24. I. can. *Schisma*, ubi inter alia haec habet: *Noli ergo, quasi nulla schismaticorum atque Ecclesiae differentia sit, velle indifferenter utrorumque sacrificiis sociari ... unam ... que*

Christi corpus est, constat esse Ecclesiam, quae in duo vel plura dividi non potest. Simul enim cum ab ea quisque recesserit, esse desistit Ecclesia (apud eum scilicet, ut addit Glossa,)

Prob. 3. Ex Patribus, Cypriano, Hieronymo, Augustino, & Fulgentio. Cyprianus sic loquitur in epistol. 66. ad Florentinum Puppian. *Scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse.* Ratio, juxta S. Doctorem, ibidem est, quia Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhaerens. At certe schismatici non sunt cum Episcopo. Ergo, &c.

Hieronymus in c. 1. Amos haec scribit: *In filiis Ammon ... schismaticos accipimus: qui separant quidem deceptam multitudinem ab Ecclesia Dei, & rudes animas quae nuper Christi concepere sermonem, abrumpunt & dividunt, tamen hoc non faciunt crudelitate, quae haeretici deceptos quousque trucidant, sed in eadem regula fidei permanentes, dilatare cupiunt terminos suos, & nomen gloriae in posteros mittere.* Igitur puri schismatici, juxta S. Doctorem, in aliquo differunt ab haeticis, & in aliquo cum illis conveniunt. Differunt in eo, quod regulam fidei servant, haeretici verò corrumpant, sicque trucidant animas, fidem eis eripiendo. In eo conveniunt, quod, sicut haeretici ab Ecclesia Dei deceptam multitudinem separent, vanaque gloriae astro perciti, terminos suos dilatare cupiant, & augere studeant numerum profelytorum suorum, quos secum abrumpunt & dividunt ab Ecclesia Dei.

Hieronymo planè consonat Augustin. lib. de fide & symbolo c. 10. *Haeretici de Deo falsa sentiendo, ipsam fidem violant; schismatici autem discissionibus iniquis à fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant quae credimus.* Quapropter nec haeticus pertinet ad Ecclesiam, quae diligit Deum & quia diligit Deum, de eo nonnisi vera sentit nec schismaticus, quoniam (Ecclesia) diligit proximum, & ideo peccatis proximi facile ignoscit, quod non faciunt schismatici, qui ex illis occasionem sumunt separandi se, & conventus suos seorsim agendi.

Fulgentius denique lib. de fide ad Petrum diaconum sic ait, cap. 38. *Firmissimè tene ... haeticos atque schismaticos, qui extra Ecclesiam catholicam praesentem finunt vitam, in ignem eternum ituros.* Et c. 39. *Firmissimè tene ... quemlibet haeticum sive schismaticum etiam in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatum, si Ecclesia catholica non fuerit aggregatus ... nullatenus posse salvari.*

Prob. 3. Schismatici hoc ipso praecise quod sunt schismatici, nec habent, nec habere possunt jurisdictionem Ecclesiasticam. Ergo hoc ipso praecise quod sunt schismatici, non sunt amplius de Ecclesia. Cons. patet: nam v. gr. quare Episcopus schismaticus per schisma amittit omnem jurisdictionem episcopalem, nisi quia per schisma desinit esse in Ecclesia, & ab eo, qui est extra Ecclesiam, jurisdictione episcopalis exerceri non potest; sive, quod idem est, nisi quia, hoc ipso praecise quod schismaticus est, foris est, & ab iis, qui foris sunt, jus Ecclesiasticum sive in Ecclesia, sive etiam extra Ecclesiam dici, etiam jure divino repugnat.

Prob. Itaque ant. 1. ex 7. 1. cap. *Novatianus*; ubi dicitur: *Qui ergo nec unitatem spiritus, nec conjunctionem pacis observat, & se ab Ecclesia vinculo, atque à sacerdotum collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem, qui episcopatus nec unitatem voluit tenere, nec pacem.* Quae verba Cypriani sunt in epistol. 58. ad Antonianum. 2. Ex S. Thoma 2. 2. quest. 39. art. 3. in O. ubi haec habet: *Potestas (jurisdictionalis) non immobiliter adheret: unde in schismaticis & haeticis non remanet: unde non possunt nec absolvere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid hujusmodi: quod si fecerint, nihil est actum.*

Prob. 4. A priori. Quia Ecclesia est unum corpus, politicum scilicet & morale, juxta illud Apostoli Rom. cap. 12. *Multi unum corpus sumus in Christo:* adeoque sicut corpus physicum est unum totum physicum, resul-

resultans ex unione physica membrorum physicorum inter se & cum capite physico; ita Ecclesia est unum totum morale, resultans ex unione morali membrorum moralium inter se & cum capite morali. Atqui hæc unio moralis consistit in communicatione membrorum inter se & cum capite. Ergo Ecclesia est unum totum morale, resultans ex communicatione membrorum inter se & cum capite. Ergo Ecclesia est unum totum morale, constans membris inter se & cum capite communicantibus. Ergo qui vel cum capite, vel cum membris cum capite communicantibus communicare renuit, non est de Ecclesia. Sed schismatici vel cum capite, vel cum membris cum capite communicantibus communicare renuunt: nam vel nolunt subesse capiti, & ab eo dependere, vel à membris communicantibus cum capite separant se, in publicis scilicet religionis actibus, hoc est, in divinorum celebratione & participatione sacramentorum. Ergo schismatici non sunt de Ecclesia.

Amplius. Ecclesia est una; est enim unum corpus, juxta illud Apostoli 1. Corinth. cap. 10. *Unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus;* Item est unum ovile, juxta illud Christi, Joan. cap. 10. *Fiet unum ovile & unus pastor.* Ergo qui non est de unitate Ecclesiae, non est de Ecclesia: sicut quia corpus humanum unum est, quod non est de unitate corporis humani, non est de corpore humano. Atqui schismatici non sunt de unitate Ecclesiae. Ergo, &c.

Prob. subs. Nam unitas Ecclesiae consistit indivisibiliter in morali colligatione membrorum Ecclesiae inter se & cum capite; & hæc moralis colligatio indivisibiliter consistit in tribus, nempe in externa professione ejusdem fidei, externa participatione eorumdem religionis actuum, quorum præcipuus est sacrificii celebratio; & debita subordinatione ac subjectione ad caput Ecclesiae. Ergo qui vel in aliquo ex his tribus deficit, Ecclesiae unitatem non participat. Atqui schismatici, licet exterius eandem profiteantur fidem, quam profitentur membra capiti subiecta, vel capiti subesse, vel publicis religionis actibus cum membris capiti subiectis participare, vel etiam utrumque renuunt. Ergo non sunt de unitate, sed ab illa se ipsi separant, & abscedunt; unde schismatici vocantur; nam schisma græcè idem est ac scissio latine. Vide S. Thomam 2. 2. q. 39. art. 1. in O.

Obj. Quandiu quis eandem fidem tenet & profitemur, quam tenet & profitemur universalis Ecclesia, tandiu membrum est universalis Ecclesiae. Atqui schismaticus eandem fidem tenet & profitemur, quam tenet & profitemur universalis Ecclesia. Ergo, &c. *R. neg. maj.* cujus falsitas patet ex modò dictis. *Prob. tamen maj.* Ecclesia est præcisè societas fidelium. Ergo, &c. *Prob. ant. 1.* Ex Nicolao Papa de consecrat. dist. 1. can. *Ecclesia*, ubi sic ait: *Ecclesia, idest, Catholicorum collectio, quomodo sine Apostolica Sedis instituetur muti?* 2. Ex Conc. Later. IV. c. *Firmiter*, ubi sic loquitur: *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur.*

Resp. neg. ant. Ad 1. prob. Resp. Nicolaum Papam per to *Catholicorum*, homines intelligere non solum unam & eandem veram fidem profitentes, sed etiam inter se communionem conjunctos, cum debita subjectione & ordine ad caput Ecclesiae. *R. Ad 2. prob.* Concilium post verbum hoc, *fidelium*, hæc alia subintelligere, inter se communionem conjunctorum, & uni capiti Romano Pontifici subsectorum: sumit enim hic Synodus vocabulum *Fidelis* secundum vulgarem ejus acceptionem, juxta quam fidelis dicitur is, qui non solum eandem fidem profitemur, quam profitemur universalis Ecclesia, sed etiam ejus capiti subiectus est, ejusque membris cæteris communicat. Ex dictis hæcenus,

1. Qui subesse Romano Pontifici, vel membris Ecclesiae illi subiectis communicare renuit, non est de Ecclesia: talis enim schismaticus est: *Schismatici*

Simonnet Theol. Tom. II.

ci dicuntur, inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 39. art. 1. in O. *qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusant.* Ratio est, quia tales abscedunt se ab unitate Ecclesiae, quæ ut ibidem dicit S. Doctor, in duobus consistit, scilicet in connexionione membrorum Ecclesiae ad invicem seu communicatione, & in ordine omnium membrorum Ecclesiae ad unum caput... quod est ipse Christus, cujus vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex.

Dices. Schismaticus, qui Romano Pontifici subesse renuit, vult subesse Christo, supremo Capiti Ecclesiae. Ergo adhuc est de Ecclesia. *Resp. neg. ant.* Nam nec vult, nec velle potest subesse Christo, qui contra eum rebellat. At contra Christum rebellat, qui non vult subesse Romano Pontifici: cum enim Christus suum in terris Vicarium constituerit Romanum Pontificem, sicut qui hunc audit, Christum audit; ita qui hunc spernit, Christum spernit, juxta illud ipsius Christi, Luc. cap. 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.*

Dices. Meletius Antiochenus non fuit extra Ecclesiam. Atqui tamen non communicavit cum Romano Pontifice. Ergo, &c. *Prob. maj.* Nam numeratur inter Episcopos, qui Synodo generali Constantinopolitana I. interfuerunt, ipsiusque ante Synodi clausulam vita defuncti, exequias celebrare cæteri, qui tunc aderant, Episcopi, S. Gregorio Nyss. illum oratione funebri prolequente, in qua de eo sic loquitur: *Auxit nobis numerum Apostolorum novus Apostolus, qui cooperatus est in ordinem Apostolorum.* Traxerunt enim Sancti ad se moribus consimilem: athletam athleta: coronatum coronati: animo castum, corde purum: præconem sermonis ministri sermonis, &c. Præterea, ut sanctus ab Ecclesia colitur: quæ certè in hominem, qui ab unitate Ecclesiae abscessus vixerit & obierit, cadere non possunt.

Resp. Conced. maj. dist. min. Meletius Antiochenus non communicavit cum Romano Pontifice ea communicatione, quæ essentialis est unitati Ecclesiasticæ. *Neg. min.* Ea communicatione, quæ unitati Ecclesiasticæ accidentaliter est, Subdist. Non communicavit affectu & in præparatione animi, N. iterum min. Non communicavit actu, sed absque ulla sua culpa, C. min.

Nota. Duplex hic distinguenda est communicatio cum Romano Pontifice; una scilicet quæ essentialis est unitati Ecclesiasticæ, quia sine illa unitas Ecclesiae esse non potest; altera verò, quæ unitati Ecclesiasticæ accidentaliter est, quia non ad esse, sed solum ad bene esse unitatis Ecclesiae necessaria esse potest.

Primo modo cum Romano Pontifice communicavit Meletius: nam semper Romanum Pontificem ut universalis Ecclesiae caput agnovit, & ut tali debitam reverentiam & obedientiam exhibere semper paratus fuit. Secundo modo non actu quidem, sed affectu, & in animi præparatione communicavit Meletius cum Romano Pontifice: non enim ut Episcopus litteras pacificas ad Romanum Pontificem scripsit, nec ab eo recepit; sed ejusmodi litteras, quibus inter se communicant Episcopi, & ad Romanum Pontificem dare, & ab eo vicissim cum debita reverentia recipere, semper paratus fuit: unde si nec dedit, nec recepit, hoc ita factum est, non quia ipse Romani Pontificis communionem aut rejecit, aut neglexit, sed quia Romanus Pontifex cum eo ut Episcopo communicare noluit, eò quòd cum Ariani ab arianæ factionis fautore Constantio postulaverant ad episcopatum Antiochenum; cum tamen orthodoxi, quotquot aderant, Episcopi in ejus electionem consensissent, eamque nervis omnibus promovissent: quod cum ignoraret Romanus Pontifex, errore facti episcopalem cum Meletio communionem inire renuit.

Meletius igitur Antiochenus non fuit extra Ecclesiam, quia non recusavit subesse Rom. Pontifici, ut capiti universalis Ecclesiae; sed nec recusavit communicare cum membris Ecclesiae Romano Pontifici subiectis. Nam 1. non recusavit communicare cum Ecclesiis orientalibus, cum Rom. Pontifice communionem

Y 4 junctis;

junctis; adfuit enim secundæ Synodo œcumenicæ, ut jam observatum est, adeoque cum omnibus Episcopis, à quibus celebrata est, communicavit. 2. Non recu-
lavit communicare cum occidentalibus Ecclesiis, sed cum illis communionem etiam episcopalem habere & fovere, dando & recipiendo litteras pacificas, paratissimus fuit; quominus enim talem communionem cum Occidentalibus Ecclesiis habuerit & foverit, non per ipsam stetit, sed per Occidentales Episcopos, qui, ut ait Basilius epistol. 349. *ex ignorantia veritatis episcopatu abdicabant virum Dei, admirabilem Meletium.*

2. Qui non vult subesse Episcopo suo particulari, nec vult communicare cum Ecclesia particulari, quæ Episcopo illi subest, nisi tamen ab eis separet se, quia in hæresim vel schisma inciderunt, non est amplius de Ecclesia. Hoc expressè docet S. Cyprianus in epist. 66. ad Puppianum: *Scire debes, inquit, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse; & frustra sibi blandiri eos qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quæ Catholica una est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique connexa, & coherentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata.*

Ratio est, quia omnes Episcopi inter se communione conjuncti, & subiecti Romano Pontifici ut capiti, sunt unus moraliter sacerdos, vel, si vis, sunt unum corpus morale; sicut membra humana inter se physice conjuncta, sunt unum corpus humanum. Unde sicut manus v. g. cum separatur à brachio, eo ipso separatur à toto corpore humano; ita qui separatur se à suo pastore, eo ipso separatur se à toto corpore pastorum. Sed qui separatur se à toto corpore pastorum, abscindit se ab unitate Ecclesiæ, & ita de Ecclesia esse desinat necesse est. Similiter cum omnes particulares Ecclesiæ inter se communione conjunctæ, & subiectæ Romano Pontifici, sint una moraliter Ecclesia, unum corpus morale; qui separatur ab una, hoc ipso ab omnibus aliis separatur.

Dices. Qui non vult subesse Episcopo suo particulari, aut non vult communicare cum Ecclesia particulari, huic Episcopo subiecta, non est schismaticus. *Resp. neg. Probabis.* Ut supponi potest, & supponitur, vult adhuc subesse Romano Pontifici, ut capiti universalis Ecclesiæ, & vult adhuc communicare cum universalis. Ergo, &c. *Resp. neg. ant.* quoad utramque partem. Nam 1. qui separatur se à particulari suo Episcopo, separatur se à toto corpore pastorum: & qui separatur se à toto corpore pastorum, separatur se à Romano Pontifice, ut capite corporis illius. At qui separatur se à Romano Pontifice, ut capite corporis pastoralis, profectò non vult subesse Romano Pontifici, ut capiti universalis Ecclesiæ; aut certe non tantum vult, quantum ad vitandum schisma, & unitatem Ecclesiæ servandam requiritur.

2. Similiter qui non vult communicare cum Ecclesia particulari in casu proposito, separatur se ab illa, & ita separatur se ab omnibus aliis Ecclesiis particularibus, ex quibus & illa constatur una moraliter Ecclesia, quæ dicitur & est Ecclesia universalis, adeoque separatur se ab Ecclesia universalis. At qui separatur se ab Ecclesia universalis, quomodo ferè velle potest cum illa communicare? Aut si aliquo modo potest, certè non potest tantum, quantum ad servandam unitatem Ecclesiæ, ac proinde quantum ad schisma vitandum velle oportet. Pro quo

Nota. Unitas Ecclesiæ resultat ex morali membrorum ejus inter se unione, non qualicumque, sed tali, ut vi illius omnia membra Ecclesiæ non quidem per corporalem, quod fieri non potest, sed per affectivam, ut ita loquar, præsentiam immediatè inter se communicent: unitas enim Ecclesiæ talis est, ut nullam membrorum ejus scissionem compari possit. Ergo qui renuit communicare cum aliquibus membris Ecclesiæ, quantumvis velit communicare cum cæteris, deficit ab illa morali unione, ex qua resultat unitas Ecclesiæ.

Ergo quantum in se est, scindit hanc unitatem, eamque violat. Ergo schismaticus est.

Dices. Si ita est, Meletius Antiochenus, de quo jam supra, fuit schismaticus. *Resp. neg. Probabis.* Nam 1. renuit subesse Paulino legitimo Antiochiæ Episcopo. 2. Imò contra illum sedem episcopalem Antiochiæ erexit. 3. Saltem renuit communicare cum Paulino & Antiochenis ei adherentibus, & cum Pontifice Romano totoque Occidente communicantibus.

Resp. ad 1. & 2. Non Paulinum Meletii, sed potius Meletium Paulini Episcopum fuisse, nec Meletium contra Paulinum, sed potius Paulinum contra Meletium sedisse; Meletius enim ante Paulinum ordinatus fuit Antiochenus Episcopus; cum Meletius vivente adhuc Constantio, Paulinus verò nonnisi post ejus obitum ordinatus fuerit; & Meletium legitime ordinatum fuisse constet ex eo quòd orthodoxi Episcopi, qui tunc Antiochiæ aderant, in ejus ordinationem consenserunt, eamque pro viribus promoverint, ut testatur Theodoretus lib. 2. histor. Eccl. c. 31. *Apostolicorum, inquit, dogmatum defensores, quibus magni Meletii & sanitas doctrine, & vite sanctitas, & virtutum copia probè cognita erat, consensum præbuerunt; summoque studio curarunt, ut decretum ea de re præscriberetur, & cunctorum subscriptionibus firmaretur.*

Resp. ad 2. Hoc esse falsum, ut patet ex Theodor. lib. 5. hist. Eccl. c. 3. *Meletius, inquit, vir omnium mortalium mitissimus, amanter simul ac leniter Paulinum his verbis compellavit: Quandoquidem & mihi harum ovium Dominus ipse curam commisit, & tu aliarum curam suscepisti, ovesque inter se in religione consentiunt, jungamus greges, & amice, & conventionem de primatu deponamus: gregemque in commune pascentes, communem iis curam ex æquo impendamus.* Meletius igitur paratissimus fuit ad communicandum etiam cum Paulino & Antiochenis eum sequentibus.

Dices. Ergo Paulinus fuit schismaticus, sicut fuerunt Novatianus & Meletius Ægyptius. *R. neg.* Tum quia nonnulla fuit contra Meletii ordinationem præsumptio, ex eo quòd ab hæreticis postulatus fuerat ad Episcopatum Antiochenum: unde facile fieri potuit, ut Paulinus inculpabiliter crederet eum non fuisse legitime promotum: tum quia Paulinus episcopalem dignitatem non invasit, imò nec ambivit, sed etiam rogatus à Lucifero, Episcopo tunc apprime catholico, & confessore, pacis orthodoxo inter Antiochenos conciliandæ studio suscepit. At Novatianus contra Cornelium, de cujus legitima ordinatione dubium nullum esse poterat, Romanam Sedem occupavit. Et Meletius Ægyptius, ut testatur S. Athanasius in Apolog. 2. à Petro Alexandrino de variis criminibus in Synodo convictus & damnatus, contra Perrum ipsum, & successores ejus Achylam & Alexandrum, circa controversiam omnem, legitimos Alexandrinæ Sedis præfules rebellavit.

ARTICULUS III.

Utrum hæretici sint de Ecclesia.

RESPONSIO.

NOtorii hæretici non sunt de Ecclesia.

Prob. 1. Ex Script. Nam Joannes Apostolus de manifestis quibusdam hæreticis sic loquitur ep. 1. cap. 2. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Illi igitur hæretici, de quibus loquitur Joannes, non permanserunt in Ecclesia, sed ex ea foras prodierunt per manifestam hæresim. Atqui eadem ratio est pro omnibus aliis hæreticis, qui ut tales manifesti sunt. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex Conc. Later. IV. c. *Firmiter*, ubi dicitur unam esse fidelium universalem Ecclesiam, hoc est, unam esse universalem Ecclesiam constantem ex fide-

ex fidelibus. Atqui Synodus hic per fidem intelligit faltem eos, qui exterius veram fidem profitentur. Ergo ex Synodo, ii non sunt de Ecclesia, qui non veram fidem, sed falsum aliquod dogma exterius profitentur. Tales sunt haeretici omnes manifesti. Ergo, &c.

Prob. 3. ex Parribus. Pro omnibus sit Hieronymus, qui sic ait in dialogo adversus Luciferianos: *Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Jesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari* (quales sunt omnes, qui haeresim aliquam exterius profitentur) ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses (Lutheranos, Calvinistas, Janfenistas) scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Et cum Hieronymo Augustinus lib. contra Petilianum de unico bapt. cap. 3. ubi sic ait: *Cum ad nos venerit schismaticus vel haereticus ut catholicus fiat, schisma ejus & haeresim* (quibuscum catholicus esse non potest) *dissuadendo & destruendo rescindimus.* Et cap. 6. ubi dicit: *Nihil prodest haereticis ad salutem, quod extra Ecclesiam verum baptismum per ignorantiam & irradunt & tenent.* Et lib. de unit. Ecclesiae, cap. 4. hæc habet: *Qui non credunt Christum in carne venisse de Virgine Maria ex semine David & manifesti sunt, etiamsi per omnes terras inveniantur, per quos est Ecclesia, non utique sunt in Ecclesia, quia ipsam caput Ecclesie non tenent, quod est Christus Jesus, nec in aliqua divinarum Scripturarum obscuritate falluntur, sed notissimis & apertissimis earum testimoniis contradicunt, adeoque aperte contradicunt auctoritati Dei credibiliter revelantis.* Atqui eadem est ratio pro omnibus haereticis manifestis. Ergo, &c.

Prob. 4. Notorii haeretici per notorietatem hæresis amittunt omnem jurisdictionem ecclesiasticam in utroque foro, interno scilicet & externo. Non nisi quia per notorietatem hæresis separantur ab Ecclesia. Ergo revera haeretici per notoriam hæresim separantur ab Ecclesia, adeoque haeretici notorii de Ecclesia esse non possunt.

Prob. 1. maj. ex 24. q. 1. cap. 3. 1. ubi sic loquitur Cyprianus: *Didicimus* (ex apostolica scilicet traditione) *omnes omnino haereticos* (manifestos, de talibus enim loquitur) *& schismaticos nihil habere potestatis ac juris.* Et ex c. 36. ibidem, ubi Nicolaus Papa I. dicit: *Aperte Sedis nostre sanxit auctoritas, nullum sive Episcopum, sive clericum, seu professione aliqua christianum, qui à Nestorio vel ejus similibus, ex quibus talia predicare coeperunt* (adeoque hæresim publicè professi sunt) *vel loco suo, vel communione dejecti sunt, vel dejectum, vel excommunicatum videri: sed hi omnes in nostra communione & fuerunt, & hucusque perdurant: quia neminem vel deicere vel removere poterat, qui predicans talia titubabat.*

Prob. 2. min. ex 24. q. 1. c. 31. jam citato, ubi Cyprianus sic ait: *Si foris cuncti haeretici* (manifesti) *& schismatici non habent Spiritum sanctum, & ideo apud nos eis manus imponitur, ut hic accipiantur, quod ille nec esse nec dari potest: manifestum est nec remissionem peccatorum dari per eos posse, quos constat Spiritum sanctum non habere.* Ex Cypriano igitur haeretici non habent jurisdictionem in foro interno, quia non habent Spiritum sanctum: & non habent Spiritum sanctum, quia foris sunt, hoc est, quia non sunt in Ecclesia. Ergo non habent jurisdictionem in foro interno, quia foris sunt, seu quia non sunt in Ecclesia. Ergo si jurisdictionem ecclesiasticam amittunt per notorietatem hæresis, amittunt, quia per notorietatem hæresis foras exeunt, & in Ecclesia esse desinunt.

Confirmari potest à pari. Nam schismatici hoc ipso præcisè quod sunt schismatici, ac proinde per suum schisma, incapaces sunt omnis jurisdictionis ecclesiasticæ, ut patet ex C. Novatianus 7. qu. 1. verbis jam supra citatis. Eatenus autem schismatici incapaces sunt omnis jurisdictionis ecclesiasticæ per suum schisma, quatenus propter illud non sunt amplius de Ecclesia, ut probatur ex Cypriano epist. 70. ad Jubaja-

num, ubi hæc scribit: *Novatianus simiarum more, quæcum homines non sint, humana tamen imitantur, vult Ecclesie catholicae auctoritatem sibi & veritatem vindicare, quando ipse in Ecclesia non sit.* Juxta Cyprianum, Novatianus schismaticus, quantum ad jurisdictionem episcopalem, non magis erat Episcopus, quam simia est homo, proindeque non magis jurisdictionales actus exercebat, cum munia episcopalia obire tentabat, quam simia exerceat actus humanos, cum humana imitatur. Quare autem hoc? Quia Novatianus schisma fecerat, & schisma faciendo, in Ecclesia esse desierat. Ergo similiter, &c.

Prob. 4. Assertio nostra à priori: quia Ecclesia est corpus morale, constans membris, subiectis Romano Pontifici ut capiti, & inter se connexis per communicationem, seu communionem, quæ consistit ex parte in externa professione veræ fidei. Ergo Ecclesia est corpus morale, constans membris, tenentibus, aut saltem exterius profitentibus veram fidem. Ergo qui non tenet, aut non saltem exterius profitetur veram fidem, non est membrum Ecclesiæ. Atqui haeretici manifesti non veram fidem, sed unum, aut plura dogmata, veræ fidei contraria profitentur. Ergo haeretici manifesti non sunt membra Ecclesiæ, adeoque non sunt de Ecclesia.

Confirm. ex S. Cypriano lib. de unit. Eccl. paulò ante finem, ubi hæc verba leguntur: *Unus Deus est, & Christus unus, & una Ecclesia ejus, fides una* (adeoque externa unius fidei professio) *& plebs in solidam corporis unitatem concordie glutino copulata.* Ecclesia igitur una est, non solum quia unus est Deus auctor illius, & Christus unus, supremum illius caput; sed etiam quia in ea est externa professio unius & ejusdem veræ fidei, quam omnes non solum ore confiteri, sed etiam animo tenere debent. Et ratio, juxta S. Martyrem, est, quia Ecclesia est *plebs* (seu hominum multitudo) *in solidam corporis unitatem concordie glutino copulata;* quæ concordia esse non potest sine externa unius & ejusdem veræ fidei professione; proindeque Ecclesia multitudo hominum est, in solidam corporis unitatem unus & ejusdem veræ fidei professionis externæ glutino copulata. Ergo qui unam & eandem illam veram fidem non profitentur exterius, non sunt de illa hominum multitudine, quæ constituit Ecclesiam, adeoque non sunt de Ecclesia. Ergo haeretici manifesti, &c.

Obj. Christus Matth. cap. 13. in parabola zizaniarum, dicit in agro tria inveniri, granum scilicet, paleas, & zizania. At ibi granum bonos christianos, malos christianos paleas, zizania haereticos, & ager Ecclesiam significat. Item epist. 2. ad Timoth. cap. 2. Apostolus ait: *In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia.* Per magnam autem illam domum Ecclesiam, & per vasa lignea & fictilia haereticos intelligit Apostolus. Item Ecclesia haereticos punire potest, & non potest punire eos, qui foris sunt. Item haeretici habent characterem baptismalem.

R. ad 1. Per agrum non Ecclesiam, sed mundum à Christo intelligi, ut patet ex eod. cap. ubi Christus hanc parabolam explicans, ait: *Ager autem est mundus.* *R. ad 2.* Apostolum per *vasa lignea & fictilia* intelligere fideles infirmos in fide & charitate. *R. ad 3.* Ecclesiam punire non posse eos, qui foris sunt, nec pertinent ad illam ut oves ad ovile, ex quo exerrant. Haeretici autem sic pertinent ad Ecclesiam, propter characterem baptismalem. *R. ad 4.* etiam damnatos qui baptizati fuerunt, habere characterem, & tamen non esse in Ecclesia. Ex eo quod haeretici characterem baptismalem habeant, sequitur tantum quoddam ad Ecclesiam pertineant, & in eos Ecclesia xim coactivam exercere possit.

ARTICULUS IV.

Utrum excommunicati sint de Ecclesia.

RESPONSIO.

Nominatim excommunicati non sunt de Ecclesia. Prob. 1. ex Matth. c. 18. ubi dicitur: *Si Ecclesiam non audierit* (is qui de crimine aliquo apud illam accusatus est) *sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, hoc est, propter contumaciam excommunicetur: quod enim ibi Christus agit de potestate excommunicandi & de excommunicatione; patet ex verbis proximè subsequen- tibus: *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in caelo*. Ergo nominatim excommunicati se habent ad Ecclesiam ut ethnici. Atqui ethnici non sunt de Ecclesia. Ergo, &c.

Prob. 2. ex Eusebio lib. 5. hist. eccl. c. 24. ubi de S. Irenæo hæc refert: *Vitorem tamen arguit, quod non rectè fecerit, abscindere à corporis unitate tot & tantas Ecclesias Dei, quæ morem sibi antiquitus traditum custodirent*. At Victor illas Asiæ Ecclesias ab unitate corporis non abscidit (si tamen revera abscidit) nisi illas excommunicando, eò quod pertinaciter renue- rent aliarum omnium Ecclesiarum in celebrando Pas- chate die dominico morem sequi. Ergo qui excom- municatur, ab unitate Ecclesiæ abscinditur. Sed qui ab unitate Ecclesiæ abscinditur, hoc ipso definit esse de Ecclesia. Ergo, &c.

Prob. 3. ex S. Augustino, lib. de unitate Ecclesiæ cap. 20. & ult. *Tunc*, inquit, *quisque praecliditur (à corpore Ecclesiæ) cum visibiliter excommunicatur*. Et lib. de vera relig. cap. 6. ubi sic ait: *Alios invitât (Ecclesia Catholica) alios (per excommuni- cationem) excludit. . . . Exclusti autem aut pœnitendo redeunt (ad Ecclesiam) aut in nequitiam male liberi defluunt*.

Prob. 4. ex II. q. 3. cap. 107. ubi dicitur: *Canonica instituta, & sanctorum Patrum exempla sequen- tes, Ecclesiarum Dei violatores auctoritate Dei & iudicio sancti Spiritus à gremio sanctæ matris Eccle- siæ, & consortio totius christianitatis eliminamus*. Quibus verbis continetur formula excommunicatio- nis ferendæ. His omnibus adde, quod in for- mula, qua excommunicati absolvuntur, dicitur: *Restituo te unitati Ecclesiæ, & membrum participa- tioni*; quod certè non nisi ludicrè diceretur, si ii qui excommunicantur, non abscinderentur ab Ec- clesiæ unitate.

Obj. Excommunicatus salvari potest etiam si moria- tur antequam absolvi possit ab excommunicatione: potest enim perfectè conteri, & sic reconciliari Deo. Ergo excommunicatus est in Ecclesia: nemo enim salvatur, nisi sit in Ecclesia. R. excommuni- catum perfectè contritum, esse animo & deside- rio in Ecclesia, antequam absolvatur, quod ei ad salutem sufficit; sicut sufficit catechumeno Deum per- fectè diligenti, & de peccatis personalibus perfectè contrito, si moriatur antequam possit baptizari.

Obj. S. Augustinum lib. contra Donatistas post col- lationem cap. 20. ubi sic loquitur: *Neque enim à po- pulo Dei separamus, quos vel degradando vel excom- municando ad humiliorem pœnitendi locum redigimus*. R. Hunc locum esse corruptum meritò suspicatur Bel- larminus lib. 3. de Eccl. militante cap. 6. & legendum esse: *Neque enim à populo Dei non separamus, &c.* imò veram esse hanc conjecturam sufficienter probat contextus: sic enim legitur immediatè ante: *Nec ideo tamen dormit Ecclesiastica disciplina, ut corripiat inquietos*. Quod ut probet, subiicit verba, quæ hic nobis obijciuntur. Quare planè videtur legen- dum esse; *Neque enim à populo Dei non separamus, &c.* Quod confirmatur ex verbis subsequen- tibus: nam sic statim prolequitur: *Et ubi hoc facere pacis & tranquillitatis Ecclesiæ gratia non permittimus*, (hoc est, & ubi magnos peccatores sic à populo Dei se- parare non possumus, salva pace & tranquillitate Ec-

clesiæ, atque idcirco non separamus) *non tamen ideo Ecclesiam negligimus, sed toleramus quæ nolumus, ut perveniamus quo volumus, utentes cautela præce- pti dominici, ne cum voluerimus ante tempus collige- re zizania* (eque extra Ecclesiæ agrum projicere,) *simul eradicemus & triticum*.

ARTICULUS V.

Utrum etiam reprobi inveniantur in vera Christi Ecclesia.

RESPONSIO.

Non solum prædestinati, sed etiam reprobi in- veniuntur in vera Christi Ecclesia.

Prob. 1. ex Script. Nam Matth. cap. 3. dicitur: *Ipse vos baptizabit (Christus) in Spiritu sancto; cujus ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*. Hic procul- dubio per aream vera Christi Ecclesia significatur; per triticum verò electi; & per paleas, quæ combu- rentur igni inextinguibili, reprobi intelliguntur.

Matth. c. 13. sic loquitur Christus: *Simile est regnum celorum sagena missa in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta es- set, educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis*. Hic manifestè Christus per regnum celorum intelligit veram suam Ecclesiam, quam comparat sa- genæ, quæ in mare mittitur ad capiendos pisces. Si- cut ergo ex mari in sagena congregantur pisces bo- ni & mali; ita in vera Christi Ecclesia ex mundo congregantur boni & mali homines. Item sicut ex piscibus in sagena congregatis, boni in vasa, mali verò foras mittuntur; ita ex hominibus in vera Chri- sti Ecclesia congregatis, qui perseveranter boni fue- rint, hoc est, electi in cælum; qui verò perseve- ranter fuerint mali, hoc est, reprobi in caminum ignis mittentur.

Denique sic ait Apostolus 2. ad Timoth. cap. 2. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia; & quedam qui- dem in honorem, quedam autem in contumeliam*. Hic per magnam domum significat Apostolus veram Christi Ecclesiam, quam meritò vocat magnam do- mum; cum jam videret eam tam longè latèque dif- fusam, & certò præciret toto terrarum orbe disfun- dendam. Præterea, per vasa in honorem, electos, & reprobos per vasa in contumeliam certò certius in- telligit. Ergo, &c.

Prob. 2. ex S. Cypriano in epist. 58. ad Anton. ubi hæc scribit: *Quantus arrogantia timor est... ut quis audeat, aut facere posse credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, ut zizania à frumento putet se posse discernere, aut quasi ipsi palam ferre, & aream purgare concessum sit, paleas à tritico conerur sepa- rare? Cumque Apostolus dicat: In domo autem magna non solum vasa aurea sunt & argentea, sed & lignea & fictilia: aurea & argentea vasa videatur eligere, li- gnea verò & fictilia contemnere, abjicere, damnare? quando non nisi die Domini vasa lignea divini ardo- ris incendio concrementur, & fictilia ab eo, cui data est ferrea virga, frangantur*. Hic 1. S. Martyr per zizania, paleas, & vasa lignea atque fictilia, mani- festè intelligit reprobos, sicut electos intelligit per fru- mentum, triticum, & vasa aurea atque argentea. 2. Et ita gravissimè reprehendit Novatianum, quod pu- taret se posse electos discernere à reprobis, holque velle ab Ecclesia separare, & sic in ea solos electos relinquere: cum tamen illam electorum à reprobis discretionem sibi Dominus reservavit, ita ut nequi- dem Apostolis suis hos ab illis discernendi concesserit virtutem; adeoque stultum sit velle electos à repro- bis discernere, & his rejectis ac separatis, ex illis solis

solis veram Dei Ecclesiam componere. Igitur ex S. Marcyre, non solum, electi, etiam reprobi sunt in vera Dei Ecclesia.

Prob. 3. ratione; nam si vera Dei Ecclesia constaret ex solis electis; cum nemini datum sit, ut recte ait S. Cyprianus loco proxime citato, electos à reprobis in hac vita certo discernere; nemo posset certo cognoscere veram Dei Ecclesiam. Fallum & absurdum conf. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam si nemo posset certo cognoscere veram Dei Ecclesiam; nemo posset certo scire, quamnam sint vera Scriptura, idem dic de veris Sacramentis & vera fide; quamnam enim sint vera Scriptura, certo sciri non potest sine testimonio vera Dei Ecclesiae certo cognita. Unde S. Augustinus alicubi ait, se non crediturum Evangelio, supple tanquam Scriptura verè divina, nisi ad credendum commoveret eum autoritas Ecclesiae, verè scilicet; non enim aliam intelligit, aut etiam intelligere potest, Ergo, &c.

Obj. Vera Dei Ecclesia, cum sit Christi ovile, constare non potest nisi ex Christi ovibus. Atqui soli praedestinati sunt oves Christi. Ergo, &c. *R. neg. min. Probabis min.* ex S. Aug. tract. 45. in Joannem, ubi dicit solos praedestinos esse oves, & reprobos, etiam fideles & iustos, oves non esse, sed lupos. Postquam enim dicit: *Secundum ergo istam praesentiam Dei & praedestinationem, quam multa oves foris! multi lupi intus!* sic se ipsum explicat: *Quid est quod dixi quam multa oves foris! quam multi modo luxuriantur, casti futuri! quam multi blasphemant Christum, credituri in Christum! ... & hi oves sunt: veruntamen modo vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quam multi intus laudant, blasphemantur! casti sunt, fornicaturi ... stant, casti! & non sunt oves (de praedestinati enim loquimur: de his loquimur, quos novit Dominus, qui sunt ejus) & tamen ipsi quamdiu recte sapiunt, Christi vocem audiunt.* Ad solutionem.

Nota. Homo dici potest ovis duplici modo, secundum praedestinationem scilicet, & secundum praesentem iustitiam. Qui ovis est secundum praedestinationem tantum, est ovis potentia tantum, & actu lupus: tales sunt ii omnes, qui inter paganos vel haereticos nati & educati, aliquando tandem convertentur ad veram fidem, & Ecclesiam ingredientur, in eaque iustificari per gratiam Christi, vocem ejus perseveranter audient, adeoque perseverabunt in statu iustitiae. Qui ovis est secundum praesentem iustitiam tantum, est tantum potentia lupus, & ovis actu: tales sunt ii omnes, qui actu fideles sunt & iusti, atque ita actu Christi vocem audiunt, sed non perseveranter audient, quia aut ex ovili fugient, & deserent Ecclesiam, aut usque in finem in ovili manentes, in statu iustitiae usque in finem non perseverabunt. His praesuppositis,

R. Itaque cum Augustinus dicit, *Quam multa oves foris*, loquitur de iis, qui oves sunt secundum praedestinationem tantum; qui oves sunt potentia, non actu; qui nondum sunt oves, sed erunt; qui nondum vocem pastoris audiunt, sed audient, & perseveranter audient. Cum dicit, *Quam multi lupi intus*, loquitur de iis, qui sunt oves secundum praesentem iustitiam tantum; qui non actu, sed potentia sunt lupi; qui nondum lupi sunt, sed erunt; qui pastorem audiunt & sequuntur, sed desinent audire & sequi, ut audiant & sequantur alienos.

Juxta Augustinum, qui foris sunt per infidelitatem, vel mores corruptos, si praedestinati sunt, sunt oves, quatenus inextricabiliter pertinent ad numerum eorum, qui vocem pastoris audient, & perseveranter audient; unde inextricabiliter futurum est, ut vocem pastoris audiant, & perseveranter audiant. Juxta eundem, qui intus sunt per fidem & charitatem, si praedestinati non sunt, sunt lupi, quatenus inextricabiliter pertinent ad numerum eorum, qui aut omnino non audiunt, aut certe non perseveranter audiunt vocem pastoris: unde infallibiliter futurum est, ut aliquando pastoris vocem audire

desinant; ut alienum sequantur, & alienum sequendo, male vitam finiant.

Juxta Augustinum, praedestinati omnes, etiam ii qui nondum pastoris vocem audiunt, oves sunt; nulli verò reprobi, etiam ii qui audiunt vocem pastoris, sunt oves, ovium nomine intelligendo eos omnes & solos, qui Christum dicentem, *Qui perseveravit usque in finem; salvus erit*, sic tandem audiunt, ut in accepta iustitia perseverent finaliter; adeoque oves sumendo eo sensu, quo sumit Christus ipse, cum ait Joan. c. 10. *Oves meae vocem meam audiunt; & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam aeternam do eis: & non peribunt in aeternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Vide locum Augustini citatum.

Porro quia praeter hanc ovium acceptionem, secundum quam dixerit S. Augustinus, est alia etiam propria, pro iis scilicet, qui pastorem audiunt & sequuntur, sive in audiendo & sequendo pastore finaliter perseveraturi sint, sive non, & hoc nullibi negat S. Doctor; nullibi negat reprobos in vero aliquo & proprio sensu esse oves Christi, cum & quamdiu fideles sunt ac iusti, adeoque cum & quamdiu Christum pastorem audiunt & sequuntur. Sic cum negat reprobos, etiam fideles ac iustos, esse verè filios Dei, filium Dei strictissime sumit pro eo omni & solo, qui in filiorum Dei adoptione perseveraturus est finaliter, proindeque aeternam hereditatem consecutus: nec differtur illos esse Dei filios in alio vero ac proprio sensu, quatenus scilicet secundum praesentem statum iustitiae in quo sunt, verum jus habent ad hereditatem aeternam, eam re ipsa consecuturi, si, ut possunt, in iustitia statu usque in finem permanerent. Vide Bellarm. lib. 3. de Eccl. milit. c. 7.

ARTICULUS VI.

Utrum etiam imperfecti inveniantur in vera Christi Ecclesia.

RESPONSIO.

Non solum perfecti, sed etiam imperfecti, hoc est, qui in venialia labuntur peccata, inveniantur in vera Christi Ecclesia.

Prob. Nam si tales non possent esse de vera Christi Ecclesia, nulla posset esse in terris vera Christi Ecclesia. Absurdum conseq. Ergo, &c. *Prob. conseq.* Nam praeter ipsum Christum sanctissimam ejus Matrem, nulli sunt, vel fuerunt, aut erunt, qui omnino peccato, etiam levi & veniali careant. Ergo, &c.

Prob. ant. 1. Ex Script. Nam dicitur Jacob. cap. 3. *In multis offendimus omnes.* Et 1. Joan. c. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Hinc Matth. c. 6. omnes nullo excepto, jubentur dicere. *Dimitte nobis debita nostra.* 2. Ex unanimi Patrum consensu; pro quibus omnibus sit S. Augustinus lib. de spir. & litt. c. 36. & ult. ubi postquam allegavit textus à nobis allegatos, sic statim prosequitur: *Sed quoniam haec falsa esse non possunt, illud esse consequens video, ut quamlibet vel quantamlibet in hac vita potuerimus definire iustitiam, nullus in ea sit hominum, qui nullum habeat omnino peccatum; omnique homini sit necessarium ... dimittere, ut dimittatur illi.*

Obj. Ephel. c. 5. dicitur Christus dilexisse Ecclesiam, & se ipsum tradidisse pro ea, ut exhiberet ipsi sibi gloriam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; sed ut sit sancta & immaculata. *R.* Ecclesia ab Apostolo talem describi propter iustos, qui in ea magno numero semper fuerint, sunt, & erunt. Porro iusti dicuntur hic primò non habere rugam, quæ est signum vetustatis, quia in baptismo veterem hominem exuerunt, & induerunt novum. 2. Non habere maculam, propter quam scilicet sine ingrati Deo & odibiles, quia nullum habent peccatum mortale. 3. Esse gloriosi, tum quia habent gratiam sanctificantem, qua decori sunt, & gra-

& grati Deo; tum quia exercent opera salutaria, & Deo accepta; tum quia sunt amici Dei, & filii ejus adoptivi ac heredes.

ARTICULUS VII.

Utrum etiam magni peccatores inveniantur in vera Christi Ecclesia.

RESPONSIO.

Etiam magni peccatores inveniantur in vera Christi Ecclesia.

Prob. 1. ex Script. Nam Matth. cap. 18. sic ait Christus: Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum... Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos... Quod si non audierit eos, dic Ecclesia: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Hic Christus loquitur de Ecclesia sua, & aperte supponit in ea fore peccatores, privatum primum, deinde, si corrigantur, coram testibus corripiendos, adeoque graves peccatores manifestos, qui nequidem Ecclesiae correptioni obtemperabunt, nec tamen desinent esse de Ecclesia, nisi cum ipsius Ecclesiae iudicio ob contumaciam abscedantur.

Item 1. Cor. c. 5. legitur: Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut quis uxorem patris sui habeat. At incestuosus ille Corinthius certe gravissimus erat peccator, & quidem notorius, & tamen adhuc erat in Ecclesia, cum epistolam suam scribebat Apostolus, ut patet 1. ex verbis subsequentibus: Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. 2. Ex eo quod Apostolus jubet incestuosum illum per excommunicationem abscindi. Judicavi ut praesens, inquit, cum qui sic operatus est, in nomine Domini Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu tradere hujusmodi Satanae, in interitum carnis. Et inferius: Auferte malum ex vobis ipsis.

Prob. 2. autoritate Patrum, Cypriani scilicet epist. 30. quae est ad Maximum, ubi haec habet: Et videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia semper cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis tantummodo laborandum est, ut frumentum esse possimus... Nos operamur demus, & quantum possumus laboremus, ut vas aureum vel argenteum simus. Caterum fictilia vasa confringere Domino soli concessum est, cui virga ferrea data est... Nec quisquam sibi quod soli filio Pater tribuit, vindicare se putet universa zizania humano iudicio segregare. Superba est ista obstinatio, & sacrilega praesumptio, quam sibi furor pravus adsumit. Atqui per zizania illa, quae in Ecclesia reperiuntur, quaque universa velle ab Ecclesia segregare, superbae oblationis & sacrilegae praesumptionis esse dicit S. Martyr, intelligit graves peccatores, & quidem manifestos. Ergo, &c.

Chrysostomi hom. 1. in Psal. 39. ubi haec Psalms regii verba, Quoniam comprehenderunt me mala, quorum non est numerus: Comprehenderunt me iniquitates meae, & non potui ut viderem: Multiplicata sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me; ponit in ore Ecclesiae, & sic loquitur: Hic quoque Dei Ecclesia vehementibus impiorum (haereticorum scilicet, vel gentilium) fluctibus agitata, non se jactat, & magnifice circumspicit, ut qua deceret: sed quae sunt, peccatis & delictis suis attribuit... alioqui nec ex perfectis quidem universa constaret Dei Ecclesia, sed habet eos etiam, qui otio & socordia se dedunt, mollemque & dissolutam vitam amplectuntur, & libenter servant voluptatibus; & quoniam est unum corpus, tanquam ex una persona & hac illa pronuntiatur. Juxta Chrysostomum Ecclesia est moraliter corpus, & quidem constans ex bonis & malis, ex justis & peccatoribus etiam gravissimis, quorum pro-

indeque peccata ut sua deplorat, & propter ea iuste affligi se, humiliter confitetur.

Hieronymi in dialogo contra Luciferianos, ubi sic ait: *Area Noe Ecclesia typus fuit... ut in illa omnium animalium genera, ita & in hac universarum & gentium, & morum homines sunt: ut ibi pardus, & hedi, & lupus, & agni; ita & hic iusti, & peccatores, id est, vasa aurea & argentea, cum ligneis & fictilibus commorantur. Et inferius: Non solum in Ecclesia morantur oves, nec munda tantum aves volitant: sed frumentum in agro seritur, & inter nitentia culta lappaque, & tribuli, & steriles dominantur avena..... Venit ergo dies, quando thesauro Ecclesiae aperto, proferet Dominus vasa ira sua, quibus exeuntibus, Sancti dicent: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis (secundum praedestinationem.) Si enim (ita) fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum... si iam mundata est Ecclesia, quid Domino reservamus? Ecce agnoscit Hieronymus, esse in Ecclesia cum iustis & sanctis graves peccatores, etiam reprobos, & quidem multo plures numero, quos separabit Christus in die iudicii.*

Gregorii Magni hom. 38. in Evang. ubi sic ait: Per has regis nuptias praesens Ecclesia designatur, in qua cum bonis & mali conveniunt: permixta quippe est diversitate filiorum; quia sic omnes ad fidem generat, ut tamen omnes per immutationem vitae ad libertatem spiritualis gratiae, culpis exigentibus, non perducatur... Boni soli nusquam sunt, nisi in celo: & mali soli nusquam sunt, nisi in inferno. Haec autem vita, quae inter caelum & infernum sita est, in utrarumque partium cives communiter recipit; quostamen Sancta Ecclesia & nunc indiscrete suscipit, & postmodum in egressione discernit... In hac ergo Ecclesia nec mali sine bonis, nec boni sine malis esse possunt... Terrere autem vos non debet, quod in Ecclesia & multi mali, & pauci sunt boni.

Prob. 3. ratione: quia si mali non possunt esse in Ecclesia, Ecclesiae praelati, hoc ipso quod mali sunt, labendo in aliquod peccatum mortale, de Ecclesia esse desinunt, adeoque desinunt esse praelati Ecclesiae. Falsum & absurdum consequens: nam si ita esset, Ecclesiae praelati in aliquod mortale lapsi, nullum jurisdictionis actum exercere possent amplius, & sic non possent amplius ligare aut solvere; neque fideles tenerentur amplius illis obedire: unde saepe orirentur in Ecclesia perturbationes maximae. Hinc merito Constantiensis Synodus hanc Joannis Huls propositionem XXX. Nullus est dominus civilis, nullus est Prelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali, damnavit sess. 15.

Obj. 1. Ecclesia in Symbolo Apostolico dicitur Sancta. Ergo non nisi ex iustis & sanctis constat. R. neg. conseq. Itaque Ecclesia dicitur sancta, non quia ex solis iustis & sanctis constet, sed quia, 1. baptizamus, & alia Ecclesiae sacramenta omnia sancta sunt. 2. Sancta est fidei christianae ac morum christianorum professio; cum nulla alia professio, ethnicorum scilicet, Judaeorum, Mahumetanorum, & haereticorum, sit sancta. 3. Sancta est membrorum Ecclesiae inter se & cum capite connexio, non solum interna, qualis reperitur in omnibus iustis, & quam fides, spes, & charitas faciunt, sed etiam externa, quae reperitur in omnibus Ecclesiae membris, quaque in ejusdem fidei professione & communicatione eorumdem sacramentorum consistit. 4. Supremum Ecclesiae caput est Christus, qui Sanctus sanctorum est. 5. Ecclesia habet homines verè iustos & sanctos, & extra Ecclesiam nulli planè inveniuntur homines verè sancti ac iusti.

Dices. Ergo si non solum iusti & sancti, sed etiam iniusti & impii sunt in Ecclesia, Ecclesia pariter poterit dici iniusta & impia, ut facile probatur. Nam si propter minorem partem, quae iustorum & sanctorum est, rectè dicitur iusta & sancta, à fortiori rectè dici poterit iniusta & impia propter majorem partem, quae iniustorum & impiorum est. R. neg. inst. & prob. ejus: quia denominatio Ecclesiae sumi debet, 1. A

me-

meliori & potiori parte illius. Melior autem & potior pars Ecclesiae, licet minor numero, sunt iusti & sancti. 2. Ex eo quod Ecclesiae proprium est, non ex eo quod est illi commune cum omnibus aliis societatibus. In iustos autem & impios habere, Ecclesiae cum aliis societatibus omnibus commune est: è contra Ecclesiae proprium est quarto modo habere iustos & sanctos; cum nulla alia hominum congregatio iustos & sanctos habeat, aut etiam habere possit.

Obj. 2. S. Cyprianus epist. 75. ad Magnum, ubi sic ait: *In Ecclesia Dei ... non nisi concordantes atque unanimiter habitant, loquente in psalmis Spiritu sancto, & dicente: Deus qui inhabitare facit unanimes in domo.* Ergo, juxta S. Cyprianum, rixatores, adeoque & alii graves peccatores, non sunt in Ecclesia. R. neg. conseq. Verbis enim laudatis Cyprianus eos tantum excludit ab Ecclesia, qui pacem ecclesiasticam violant, & schisma faciunt, legitimis Ecclesiae pastoribus subesse nolendo, & contra illos rebellando. Audiamus S. Martyrem: *Pastor haberi quomodo potest, qui (manente vero Pastore, & in Ecclesia Dei ordinatione succedanea presidente) nemini succedens, & à se ipso incipiens, alienus sit & prophanus, dominica pacis ac divinae unitatis inimicus, non habitans in domo Dei, id est, in Ecclesia Dei, in qua non nisi concordantes, &c. ut supra.*

Obj. 3. S. Pacianus epist. 3. ad Sympronianum, ubi sic loquitur: *Ceterum peccator & poenitens non est Ecclesia macula; quia quamdiu peccat, & non poenitet, extra Ecclesiam constituitur est. Ut desinit peccare, jam sanus est.* R. hanc epistolam contra Novatianos scriptam fuisse, adeoque Pacianum loco citato, nomine peccatoris, non quemlibet mortalis peccati reum intelligere, sed qualem, etiam poenitentem, ab Ecclesia absolvi nec debere, nec posse contendebant Novatiani; ac proinde solum intelligere hominem notorie reum graviorum aliquorum criminum, & propter illa, quoniam annexa illis erat excommunicatiois poena, notorie excommunicatum.

Quòd autem non solum iustos, sed etiam peccatores esse in Ecclesia Dei senserit S. Pacianus, patet ex eadem epistola, ubi, proxime ante verba quae nobis obijciuntur, haec scribit: *Ecclesia est templum Dei, templum certe amplissimum, domus magna, habens quidem vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia ... Ecclesia est virgo sancta ... sponsa Christi: virgo, verum est, sed & mater ... Multus igitur huic virgini partus, & proles innumera, qua totus orbis impletur ... Magna in filios cura matris istius ... Honorantur boni, castigantur superbi, curantur aegroti, nullus perit (quantum est in illa matre) nemo despiciatur, securi foris sub indulgentia matris retinentur. At in prole illa innumera, qua totus orbis impletur, quot peccatores! Unde inter filios mater Ecclesia habet superbos, quos castiget, aegrotos quos curet, plurimos, quos absque indulgentia in sinu suo retinere non possit.*

Obj. 4. S. Chrysostomus hom. 3. in cap. 2. epist. 2. ad Tim. illud Apostoli, *In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia*, sed interpretans, nomine domus dicit, non Ecclesiam, sed mundum intelligi debere, quia in Ecclesia non sunt nisi vasa aurea & argentea. R. hoc negando. Vult enim S. Chrysostomus, nomine magna domus, mundum, non Ecclesiam intelligi, non quòd in Ecclesia cum vasis aureis & argenteis nulla sint lignea & fictilia, sed quia necesse non est, ut sint. Audiamus illum: *Paulus: dum dicit, in magna domo esse vasa non modo argentea & aurea, sed etiam lignea & fictilia, perinde est ac si dicat: Quemadmodum in majori domo necessaria est magna differentia vasorum, ita & in orbe toto. Non enim eam similitudinem ad Ecclesiam refert, verum ad mundum universum. Quippe in Ecclesia nullum vult (id est, opat) esse vas ligneum, aut fictile, sed argentea omnia, & aurea. Ibi enim est corpus Christi, ibi virgo casta, non habens maculam neque rugam; hoc est, cum Ecclesia sit corpus Christi, & virgo casta, nec maculam aut rugam*

habens per se & ex intrinsecis: unde per accidens est, quòd in ea sint mali, quos per vasa lignea & fictilia significat Apostolus.

Obj. 5. S. Hieronymus comment. in cap. 5. epist. ad Ephes. haec habet: *Ecclesia Christi gloriosa est, non habens maculam neque rugam, aut quid istiusmodi. Qui ergo peccator est, & aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subiectus dici. Possibile autem est, ut ... peccator currat ad medicum ... & curentur vulnera ipsius, & fiat de Ecclesia, quae corpus est Christi.* R. S. Hieronymum hic quidem negare quòd peccatores de Ecclesia sint; at non negare eo sensu, quo nos asserimus eos esse de Ecclesia: nam alibi disertis verbis affirmat peccatores esse in Ecclesia. Mens S. Doctoris patebit amplius ex deinceps dicendis.

ARTICULUS VIII.

Solvitur Obiectio petita ab autoritate S. Augustini.

Obj. S. Augustinus negat peccatores esse in Ecclesia. R. hoc esse falsum. Nam è contra graves peccatores esse in Ecclesia probat 1. Autoritate Apostoli, lib. 7. de bapt. contra Donatistas, cap. 51. ubi sic ait: *Nam & istos (graves peccatores) esse in domo (id est in Ecclesia) negare non possumus, Paulo Apostolo dicente: In magna autem domo non solum aurea vasa sunt, vel argentea, sed & lignea & fictilia.* 2. Autoritate S. Cypriani, lib. contra Donatistas post collat. cap. 8. *Diu contenderunt, inquit, dicentes zizania, quae cum tritico simul crescere usque ad messem permixta sunt, non in Ecclesia, sed in mundo esse, contra intellectum Martyris Cypriani, qui dixit: Et si videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impedi debet aut fides, aut charitas nostra, ut quoniam zizania in Ecclesia esse cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.* 3. Scripturae textus, quibus ad excludendos ab Ecclesia peccatores abutuntur Donatistae, explicando de Ecclesia, non qualis nunc est, sed qualis erit in caelo. Nam v.g. sic loquitur, lib. proxime citato cap. 9. *Ecce manifestum est quod dicebatur à nobis, distinguenda esse tempora Ecclesiae; non jam nunc esse eam, qualis post resurrectionem futura est: nunc malos habere permixtos, tunc omnino non habituram: ad illam ejus puritatem, non ad huius temporis permixtionem illa divina testimonia pertinere, quibus eam Dominus praeiit ab omni malorum permixtione penitus alienam. Ex similitudine saginae missae in mare lib. de unitate Ecclesiae contra Petilianum, c. 13. Est, inquit, alia similitudo apertissima de commixtione malorum & bonorum intra eandem Sacramentorum communionem & connexionem, quam Dominus ipse & ponit & exponit. Simile est, inquit, regnum caelorum saginae missae in mari, qua congregat omnia genera piscium, &c.*

Dices. S. Doctor de gravibus peccatoribus sic loquitur, lib. 2. contra litteras Petilianae, cap. 108. *Nec ideo putandi sunt esse in Christi corpore, quod est Ecclesia, quia Sacramentorum ejus corporaliter participes sunt.* Et lib. 3. de bapt. contra Donatistas, cap. 18. *Sicut autem isti, qui intus cum gemitu tolerantur, quamvis ad eandem columba unitatem, & illam gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi, non pertineant, &c.* Et lib. 6. cap. 3. *Quos non pertinere ad sanctam Ecclesiam Dei, quamvis intus esse videantur, ex hoc apertissime apparet: quia isti sunt avari, raptores, feneratores, invidi, malevoli, & cetera huiusmodi: illa autem columba unica, pudica & casta, sponsa sine macula & ruga ... Quod non intelligitur nisi in bonis & sanctis & iustis.*

R. dist. Ex S. Doctore, graves peccatores non sunt in corpore Christi, quod est in Ecclesia; non pertinent ad unitatem columbae, non pertinent ad Ecclesiam, ut partes constituentes, C. Ut partes adherentes tantum, N. Ut mentem S. Doctoris plenè attingas.

Nota. In corpore hominis viventis, & habentis mem-

membra aliqua arida, adeoque emortua, distingui possunt & debent partes duplicis generis, partes scilicet constituentes, & partes adhaerentes tantum. Partes constituentes sunt membra viva: viva enim membra omnia ad corporis vivi constitutionem pertinent. Partes vero adhaerentes tantum, sunt membra arida. Nam 1. membra, quantumvis arida, quamdiu non amputantur, sunt in aliquo vero sensu partes corporis vivi: tamdiu enim in aliquo vero sensu ad corporis vivi substantiam pertinent, propter continuitatem, seu physicam unionem, quam cum aliis membris habent. 2. Sunt partes adhaerentes tantum, quia hoc ipso quod arida sunt, desinunt pertinere ad constitutionem vivi corporis: nam vivum corpus non nisi ex vivis membris propriè constituitur.

Similiter, juxta mentem S. Augustini, duplicis generis partes distinguendae sunt in Ecclesia; nempe partes constituentes, & partes adhaerentes tantum. Partes constituentes sunt justi, quia ex justis Ecclesia, vivum scilicet corpus ex vivis membris constituitur. Partes adhaerentes tantum, sunt peccatores. Et 1. quidem peccatores sunt in aliquo vero sensu partes Ecclesiae, quia in aliquo vero sensu ad ejus substantiam pertinent, propter moralem, ut ita loquar, continuitatem & unionem, quam per externam ejusdem fidei professionem, & eorundem Sacramentorum participationem, habent cum justis Ecclesiam constituentibus. 2. Sunt partes adhaerentes tantum, quia cum sint membra mortua & arida, non possunt esse de constitutione Ecclesiae, quae est corpus Christi aeternum viventis, adeoque corpus vivum, quod non nisi ex vivis membris propriè constitui potest.

Hinc, juxta S. Doctorem, malus v.g. Episcopus non pertinet quidem ad Ecclesiam ut pars constituens; at pertinet ut pars adhaerens, quamdiu non separatur corporaliter: quare tandiu, juxta S. Doctorem, est organum Ecclesiae, & tandiu Ecclesia per illum baptizat, absolvit, ligat, &c. ut dicit S. Doctor, lib. 6. de bapt. contra Donat. cap. 7. Præterea, juxta S. Doctorem, lib. 7. de bapt. contra Donat. c. 52. hoc inter malum Episcopum, & schismaticum vel haeticum discrimen interest, quod à malo Episcopo, quamdiu non abscinditur, etiam extra necessitatem; à schismatico vero vel haetico non nisi in urgenti necessitate baptismus utiliter accipi possit. Quare autem hoc, nisi quia malus Episcopus, minister est Ecclesiae, quamdiu non abscinditur; schismaticus vero vel haeticus non est. Cujus rei ratio ulterior est ex S. Doctore ibidem, quia schismaticus vel haeticus Episcopus non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter separatus est; unde non magis est in Ecclesia, quam ex Ecclesia, adeoque neque ut pars constituens, neque ut pars adhaerens, pertinet ad substantiam Ecclesiae, cujus proinde organum esse non potest amplius, malus vero, quamdiu non abscinditur, non corporaliter, sed tantum spiritualiter separatus est; unde est in Ecclesia, quamvis non sit ex Ecclesia; hoc est, non quidem ut pars constituens, sed ut pars adhaerens, pertinet ad substantiam Ecclesiae, cujus adeo potest esse, & est adhuc organum.

At inquit obiter. In corpore humano partes adhaerentes tantum, nec sunt, nec possunt esse organa, ut patet v.g. in manu arida. Ergo malus Episcopus nec est, nec potest esse organum Ecclesiae, si ad ejus substantiam non pertinet nisi ut pars adhaerens: & vel nec est, nec potest esse organum Ecclesiae, vel ad ejus substantiam ut pars constituens pertinet. R. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia anima vitales actiones exercere non potest, nisi per membra viva & animata: unde solae partes constituentes possunt esse organa in corpore humano. At Ecclesia functiones suas exequi potest per membra mortua & arida, seu per membra viva spirituali privata: nam ad functiones Ecclesiae validè exercendas, sufficit potestas ordinis, vel jurisdictionis, quarum utraque potest esse sine charitate, in qua spirituali vita consistit. Possunt igitur partes adhaerentes tantum

esse organa in Ecclesia. Sed ut ad propositum nostrum redeamus,

Nota iterum. Non solum membra viva, sed etiam arida sunt in corpore humano; cum hoc tamen discrimine, quod membra viva sint non tantum in, sed etiam ex, seu de corpore humano: membra vero arida ita sint in, ut non sint ex, seu de corpore humano, propriè & strictè loquendo: quia propriè & strictè loquendo, illa tantum sunt ex, seu de corpore vivo, quae pertinent ad ejus constitutionem; & sola membra viva ad corporis vivi constitutionem propriè pertinent: membra enim arida & mortua propriè pertinere ad constitutionem corporis vivi repugnat: unde homo habens v.g. manum aridam, dicitur habere corpus mancum, quia nimirum deest ei aliqua pars, nempe manus viva, ad integram vivi corporis constitutionem necessaria.

Dixi autem, propriè & strictè loquendo: nam membrum aridum, quamdiu non amputatur, & ita quamdiu corpori adheret, propter physicam continuitatem, quam habet cum aliis ejus membris, pertinet ad ejus substantiam, illudque non quidem in ratione corporis vivi, seu machinae ex variis organis ad certas operationes vitales exercendas idoneis compactae constituit, sed in ratione cujusdam præcisè continui physici cum aliis membris suo modo integrat. Unde membrum aridum rectè dici potest, licet minus propriè, minùsque strictè loquendo, non solum esse in, sed etiam esse ex, seu de corpore humano.

Similiter, juxta S. Doctorem, non solum boni, sed etiam mali sunt in Ecclesia, sed cum hoc discrimine, quod boni, quia sunt membra viva, sint non tantum in, sed etiam ex, seu de corpore Ecclesiae; mali vero, quia sunt membra mortua & arida, ita sint in, ut non sint ex, seu de corpore Ecclesiae, propriè & strictè loquendo: quia propriè & strictè loquendo, illi tantum sunt ex, seu de corpore Ecclesiae, qui pertinent ad constitutionem illius; nec ad illius, cum sit corpus vivum, constitutionem pertinere possunt, nisi qui sunt membra viva.

Audiamus S. Doctorem, ita loquentem lib. 7. de bapt. cap. 51. *Puto me non temere dicere alios (bonos) ita esse in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei... Alios autem (malos) ita dici constat esse in domo, ut non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem fructiferam pacificaeque iustitiae, sed sicut esse palea dicitur in frumentis: nam & istos esse in domo negare non possumus... Ex hoc (malorum) numero innumerabili... diruptis rebus, haereses & schismata existunt, in eis qui jam non magis ex domo, quam in domo esse dicendi sunt, de quibus dicitur: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: separationes enim sunt, jam corporaliter segregati, quam illi qui in terris carnaliter & animaliter vivunt, & spiritualiter separati sunt.*

Esse domum Dei & corpus Christi, unum & idem hic sunt S. Doctore, qui Ecclesiam modò domum Dei, modò corpus Christi nominat. Quare si boni, juxta S. Doctorem, ita sunt in domo Dei, ut etiam sint ex, seu de domo Dei, & collectivè sumpti, sint ipsa domus Dei, juxta eundem, ita sunt in corpore Christi, quod est Ecclesia, ut sint etiam ex, seu de corpore Christi; & collectivè sumpti, sint ipsum corpus Christi, quod est Ecclesia. Item si mali, juxta S. Doctorem, ita sunt in domo Dei, ut non sint ex, seu de hac domo; juxta eundem, ita sunt in corpore Christi, quod est Ecclesia, ut non sint ex, seu de hoc corpore, propriè & strictè loquendo: quia domus Dei non constituitur nisi ex vivis lapidibus, & corpus Christi propriè non nisi ex vivis membris constituitur.

Dixi, propriè & strictè loquendo: nam quòd mali, quamdiu non omnino separantur (quod semper suppleri debet) sint non solum in, sed etiam minus propriè minùsque strictè loquendo, ex, seu de corpore Ecclesiae, expressè docet S. Augustinus tract. 61. in Joan. ubi haec verba, *Unus ex vobis tradet me*, ita disserit: *Quid est ergo, Unus ex vobis tradet me, nisi*

nisi unus ex vobis exierit, qui me tradet? quia & ille qui ait: Si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum; jam dixerat: Ex nobis exierunt: ac per hoc utrumque verum est, & ex nobis, & non ex nobis: secundum aliud, ex nobis, secundum aliud, non ex nobis: secundum communionem sacramentorum, ex nobis; secundum suorum proprietatem criminum, non ex nobis.

Itaque, juxta S. Doctorem, mali, quandiu non omnino segregantur per schisma, vel notoriam hæresim, vel quocumque alio modo, sunt & non sunt ex Ecclesia. Non sunt secundum suorum proprietatem criminum; sunt secundum communionem sacramentorum: non sunt secundum suorum proprietatem criminum, quia propter sua crimina sunt membra mortua & arida; sunt secundum communionem sacramentorum, quia propter eorum sacramentorum participationem, adde & externam christianæ fidei professionem, moralem habent unionem & continuitatem cum bonis corpus Ecclesiæ constituentibus; non sunt, si propriè & strictè loquimur, quia propriè & strictè loquendo, illa tantum membra sunt ex corpore Ecclesiæ, quæ ad Ecclesiam in esse vivi corporis, seu in esse corporis Christi constituendam concurrunt; & ad id mali, cum sint membra mortua & arida, non possunt concurrere: sunt, si minus propriè minùque strictè loquimur, quia minus propriè minùque strictè loquendo, illud omne est ex corpore Ecclesiæ, quod ei adheret, eique adherendo pertinet aliquo modo ad ejus substantiam: mali autem, per communionem sacramentorum & fidei christianæ professionem, adherent corpori Ecclesiæ, & sic adherendo, ad ejus substantiam aliquo modo pertinent: unde cum membris vivis, illud in esse corporis vivi constituentibus, illud in esse continui cujusdam seu totius moralis sensibilis suo modo constituunt: nam mali cum bonis, quibuscum sacramentorum communionem, & christianæ fidei professione colligati sunt, faciunt unum quoddam continuum, seu totum morale sensibile, quod est Ecclesia adæquate sumpta, hoc est, Ecclesia sumpta & secundum partes constituentes, & secundum partes adherentes tantum. Sed

Nota 3. In corpore humano membra duplicem habent unionem, unam ex qua resultat unum corpus, una machina constans certis organis ad vitales actiones exercendas idoneis; & alteram, ex qua præcisè resultat unum continuum physicum. Membrum autem arefcens, per ariditatem amittit primam unionem, quia propter ariditatem ad corporis in esse corporis constitutionem desinit concurrere cum reliquis membris, à quibus proinde in vero aliquo sensu, licet non totaliter, separatur; & quia sic separatur, desinit esse propriè ex corpore. Secundam verò unionem, quantumlibet aridum sit, retinet, quandiu non amputatur, quia quandiu non amputatur, pergit cum reliquis membris facere unum continuum physicum, siveque donec per amputationem totaliter separatur, pergit esse in corpore, & ad illius substantiam aliquo modo pertinere, illud in esse continui physici cum membris reliquis suo modo constituendo.

Quòd si membrum aridum amputetur, secundam unionem, quam eatenus retinuerat, amittit per amputationem, & ita totaliter separatur à reliquis membris, proindeque desinit esse in corpore, ad cujus substantiam nullatenus pertinet amplius. Membrum igitur aridum, non amputatum, differt ab amputato, in eo quòd non amputatum, partialiter tantum; & amputatum, totaliter sit separatum; arque adèd non amputatum sit in corpore, licet propriè non sit amplius ex corpore; amputatum verò non magis sit in, quam ex corpore.

Similiter, juxta S. Doctorem, in Ecclesia duplex distinguenda est unio; una quæ consistit in spiritali fidei, spei, & præsertim charitatis vinculo, quo iusti inter se conjuncti, iidem Sacramentis participant, & eandem fidem profitentes, constituunt corpus Christi, quod est Ecclesia: unde propriè & strictè loquendo, omnes & soli iusti sunt ex corpore Ecclesiæ: altera verò, quæ in corporali seu sensibili communionis

sacramentorum & christianæ fidei professionis vinculo consistit, quo vinculo peccatores cum iustis corpus Ecclesiæ constituentibus, colligati, atque ita adherentes corpori Ecclesiæ, cum eo faciunt unum continuum morale sensibile, in quo peccatores velut in toto continentur. Quare cum hoc continuum sit domus Dei & corpus Christi, consequens est peccatores esse in domo Dei & corpore Christi: non sunt tamen ex hac domo, & hoc corpore, quia continuum illud, quæ domus Dei, constituitur, & quæ corpus Christi, constituitur ex solis iustis.

Porro (loquor semper ad mentem S. Doctoris) homo per peccatum mortale amittendo charitatem, desinit participare primam unionem, quæ spiritalis est, & ita spiritaliter separatur à iustis, quibuscum proinde ad corpus Christi, quod est Ecclesia, constitutionem concurrere desinit; quare per spiritalem hanc separationem desinit esse ex corpore Ecclesiæ, propriè & strictè loquendo: nihilominus tamen pergit esse in corpore Christi, sicut & in domo Dei, quandiu non separatur etiam corporaliter; quia quandiu non sic separatur, secundam unionem retinet, vi cujus pergit esse pars, adherens scilicet, moralis illius & sensibilis continui, quod est Ecclesia, adeoque corpus Christi, sicut & domus Dei.

Quòd si peccator separatur etiam corporaliter, puta per schisma vel hæresim notoriam, secundam unionem, quam eatenus participaverat, participare desinit, atque ita totaliter separatur à corpore Ecclesiæ, nec ad ejus substantiam ullatenus pertinet amplius: unde jam non magis est in, quam ex corpore Christi, quod est Ecclesia; sicut non magis est in, quam ex domo Dei, quæ est Ecclesia. Hinc juxta S. Doctorem, inter peccatorem, & schismaticum vel hæreticum notorium, discrimen hoc interest, quòd schismaticus vel hæreticus notorius non magis sit in, quam ex corpore Ecclesiæ, quia neutram Ecclesiæ unionem participat; cum non solum spiritaliter, sed etiam corporaliter, adeoque totaliter per schisma suum, vel notoriam suam hæresim, sit separatus; peccator verò non quidem ex, sed in corpore Ecclesiæ sit, quia non primam quidem, sed secundam Ecclesiæ unionem participat; cum per peccatum mortale spiritaliter tantum, adeoque tantum partialiter separatur à corpore Christi, quod est Ecclesia: unde adhuc ad substantiam illius pertinet, non quidem ut pars illud in esse suo cum aliis comparibus constituens, sed ut pars illud suo modo integrans in esse continui cujusdam moralis & sensibilis.

Nota 4. Membrum aridum in corpore humano, quamvis non sit amplius ex illo propriè loquendo, quia non est amplius pars illius constitutiva, tamen deturpat illud, quandiu non amputatur, quia quandiu non amputatur, est in illo, & aliquid illius, utpote ad ejus substantiam aliquo modo pertinens. Similiter, juxta S. Doctorem, Ecclesia deformatur per malos, quandiu non separantur etiam corporaliter, quia tandiu sunt in illa, & aliquid illius; quamvis strictè loquendo, non sint ex illa, quia non sunt partes illius constitutivæ.

Audiamus S. Doctorem lib. 3. de doctr. christ. cap. 32. ubi de Ecclesia, qualis nunc est, loquens, sic ait: *Ad hoc pertinet in Canticis Canticorum: Fusca sum & speciosa, ut tabernacula Cedar, speciosa sum ut pelles Salomonis. Non enim ait: Fusca fui, ut tabernacula Cedar, & speciosa fui ut pelles Salomonis: sed utrumque se esse dixit, propter temporalem unitatem intra una retia piscium bonorum & malorum.*

Itaque, juxta S. Doctorem, Ecclesia simul est fusca, & speciosa, simul formosa & deformis; formosa propter bonos, deformis propter malos; formosa & deformis, quia in ea non solum boni, sed etiam mali sunt, propter unitatem moralem quam habent in hac vita mali cum bonis, per communionem sacramentorum, & externam fidei christianæ professionem. Nam mali in hac vita eadem sacramenta participando, & eandem fidem profitendo cum bonis, faciunt cum illis unum totum morale, unum corpus politicum, unam societatem, quæ societas est vera Christi Eccle-

Ecclesia; unde mali cum bonis communicantes in Sacramentis & professione fidei, sunt suo modo partes societatis, quæ est vera Christi Ecclesia, & sic mali cum bonis in vera Christi Ecclesia sunt, quamvis non eodem modo quo boni; qui boni sunt in Ecclesia Christi, ut partes illam constituentes, mali verò ut partes illi adhaerentes, & adhaerendo facientes cum illa unum corpus morale, sensibile & palpabile, quod est Ecclesia Christi, & quatenus est Ecclesia Christi, & corpus Christi, adeoque corpus vivum vita spiritali, quod proinde non nisi ex membris vita spiritali animatis constari potest.

Dices. Mali sunt partes constituentes societatem, quam faciunt boni & mali inter se communicantes, & quæ est Christi Ecclesia. Ergo mali sunt partes constituentes Ecclesiam Christi. *R. neg. ant. ad mentem S. Doctoris.* Nam societas illa, quam boni cum malis constant, est in recto sola Ecclesia Christi, & ita in recto dicit solos bonos, ex quibus Ecclesia Christi constituitur, malos verò in obliquo tantum; societas enim illa est Ecclesia Christi, sensibilibus & corporaliter cum malis colligata per communionem sacramentorum, & externam fidei christianæ professionem: vel, si vis, quod idem est, societas illa sunt boni inter se spiritali charitatis vinculo connexi, & sensibilibus ac corporaliter per sacramentorum communionem & externam professionem fidei christianæ colligati cum malis.

Mali igitur cum bonis constant corpus politicum, sensibile & palpabile, quod est Ecclesia Christi, non componendo cum bonis totum aliquod, quod sit in recto boni & mali; sicut homo v. g. est in recto corpus & anima rationalis; sed pure bonis adherendo sensibilibus & corporaliter per communionem sacramentorum; sicut in doctrina S. Thomæ, albedo facit album cum pariete, non componendo cum pariete totum, quod sit in recto paries & albedo, sed pure inhærendo parieti, unde album non est paries & albedo, sed paries habens albedinem; & sicut humanitas cum verbo facit Christum, non componendo cum verbo totum aliquod, quod sit verbum & humanitas in recto, sed pure incumbendo, vel, si vis, adhaerendo physice verbo, unde Christus est verbum habens humanitatem, verbum humanitate homo. Addo etiam, sicut in homine habente manum aridam, manus arida cum corpore facit unum continuum physicum, non componendo cum corpore totum, quod sit corpus & manus arida in recto, sed pure adhaerendo corpori, unde continuum illud est corpus habens manum aridam.

Mali igitur non sunt de Ecclesia Christi, etiam sumpta ut est corpus politicum, sensibile & palpabile, nisi minus proprie, secundum quid, & cum addito diminutive, ut partes pure adhaerentes, in obliquo: boni verò sunt de ea, proprie, simpliciter, ut partes constituentes, in recto, uno verbo, sunt ipsa Ecclesia Christi. Quando S. Augustinus negat malos esse de Ecclesia Christi, sumit Ecclesiam Christi secundum ea tantum, quæ dicit in recto. Quando dicit malos esse in, vel etiam esse aliquo modo & secundum quid de Ecclesia Christi, sumit Ecclesiam Christi secundum ea, quæ dicit tam in recto, quam in obliquo. Juxta S. Doctorem, boni non solum sunt in, sed etiam proprie & simpliciter de societate illa sensibili, quæ est Ecclesia Christi, quia sunt in ea ut partes constituentes: mali verò sic sunt in ea, ut non sunt proprie & simpliciter de ea, quia in ea sunt tantum ut partes partibus constituentibus adhaerentes.

Potro hæc hætenus paulò fusiùs disseruimus, ad exponendam mentem Augustini, & aliorum Patrum, quorum auctoritate abuti conantur hoc tempore hæretici, & alii novatores. Patribus autem asserentibus solos bonos esse de Ecclesia, non contradicunt Doctores catholici, cum non solum bonos, sed etiam malos esse in & de Ecclesia dicunt: sentiunt enim bonos esse in & de Ecclesia, ut membra viva; malos verò esse in & de Ecclesia, quomodo

in & de ea esse possunt membra mortua & arida, quod sufficit Augustino & aliis Patribus, sicut Doctoribus catholicis iussit, quod asserit Augustinus, malos per malam vitam spiritaliter tantum separatos à bonis, adeoque cum bonis corporaliter colligatos manere, donec omnino segregentur: hoc enim supposito, manifestum est malos cum bonis facere, quocumque tandem modo faciant, unum corpus politicum, sensibile & palpabile, quod est Ecclesia Christi; unde manifeste sequitur, malos esse aliquo verò modo de Christi Ecclesia.

E dictis hætenus apparet, quàm malè & perperam contendant novatores, à Clemente XI. in Constitutione, quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius*, doctrinam S. Augustini & aliorum Patrum proscriptam fuisse in Quesnellii propositionibus 72. 73. 74. 75. 76. & 77. Nam cum S. Augustinus dicit ex bonis componi Ecclesiam Christi, non intendit malos ab ea excludere, quandoquidem malos in Ecclesia Christi esse, disertè asserit, inculcat, & variis argumentis demonstrat contra Donatistas, imò expressè agnoscit malos de Ecclesia esse ex parte, nempe secundum communionem sacramentorum, & externam, ut subintelligit, fidei christianæ professionem: Quesnellius verò in citatis propositionibus sic ex solis bonis Ecclesiam Christi componit, ut ab ea malos prius excludere intendat; ut

Facile demonstratur ex propositione 78. ad quam alia citata evidenter relative sunt, & quæ sic se habet in latinum fideliter versa: *Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.* Juxta Quesnellium igitur, mali per malam vitam à bonis, qui Ecclesiam Christi, componunt, tam separantur, quàm separantur Pagani. Sed Pagani ita separantur à bonis, qui Ecclesiam Christi componunt, ut non magis in, quàm de Ecclesia Christi sint. Ergo similiter, juxta Quesnellium, mali per malam vitam, à bonis qui Ecclesiam Christi componunt, ita separantur, ut non magis sint in, quàm de Ecclesia Christi. Ergo Quesnellius ita ex bonis & sanctis componit Ecclesiam Christi, ut ab ea malos penitus excludat, & tam excludat, ut non magis velit illos ad eam pertinere, quàm ad eam pertinent Pagani, & a fortiori quàm ad eam pertinent schismatici & hæretici.

Juxta S. Doctorem, schismatici & hæretici, adeoque & quidem à fortiori, Pagani tam corporaliter quàm spiritaliter separati sunt; mali verò spiritaliter tantum, proindeque minus separati sunt, quàm Pagani: juxta Quesnellium mali per malam vitam tam separantur, quàm Pagani. Juxta S. Doctorem, mali, quantumvis mali, retinent cum bonis aliquam unitatem, vi cujus verè sunt in Ecclesia cum bonis: juxta Quesnellium, nullam ejusmodi unitatem retinent. Juxta S. Doctorem, mali per malam vitam non separantur totaliter: juxta Quesnellium, totaliter separantur. Doctrina igitur S. Augustini, & Quesnellii doctrina, ut affirmatio & negatio pugnant inter se.

ARTICULUS IX.

Utrum infideles occulti sint in vera Christi Ecclesia.

R E S P O N S I O.

In fideles occulti sunt in Ecclesia Christi.

Prob. Infideles occulti sunt ii, qui fidem non habent, & ita carent omni virtute christiana, sed tamen exteriùs fidem christianam profitentur, & eadem sacramenta participant cum fidelibus. Atqui tales sunt in vera Christi Ecclesia. Ergo, &c.

Prob. min. 1. ex Joanne Apostolo epist. 1. c. 2. ubi hæc leguntur: *Et nunc antichristi multi facti sunt. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* Hic Apostolus loquitur in persona totius Ecclesiæ, & per antichristos intelligit eos, qui in apertam hæresim erupe-

eruperunt. Dicit autem eos per notoriam hæresim exivisse ab Ecclesia. Ergo ante notoriam hæresim erant in Ecclesia, aliquem enim è loco, in quo non est, exire manifestam involvit repugnantiam. Ergo infideles, quandiu occulti sunt, adeoque quandiu fidem christianam exterius profitentur, & eadem sacramenta participant cum veris fidelibus, tandiu sunt in Ecclesia.

At inquit. Apostolus hic difertè asserit eos non fuisse de Ecclesia, etiam antequam in apertum schisma prorumperent. *Non erant, inquit, ex nobis.* Ergo etiam antequam prorumperent in apertum schisma, non fuerunt in Ecclesia, nam qui non est de Ecclesia, non est in Ecclesia, sicut qui non est in Ecclesia, de Ecclesia esse non potest.

R. 1. dist. ant. Apostolus hic difertè asserit eos non fuisse de Ecclesia, &c. tanquam membra viva, *C. ant.* Ne quidem tanquam membra mortua & arida, *N. ant. & dist. conf.* Ergo etiam antequam prorumperent in apertum schisma, non fuerunt in Ecclesia ut membra viva, *C. confeg.* Ut membra mortua & arida, *N. confeg.* Nam cum Apostolus dicit eos per apertum schisma in Ecclesia exivisse, hoc ipso dicit eos ante apertum schisma in Ecclesia fuisse: clarum autem est non fuisse ut membra viva, cum spiritali vita carerent. Ergo hoc ipso dicit eos ante apertum schisma, in Ecclesia fuisse ut membra mortua & arida, adeoque ante apertum schisma, de Ecclesia fuisse ut membra mortua & arida.

Juxta Apostolum igitur, hic hæretici, antequam in manifestam prorumpant hæresim, sunt & non sunt de Ecclesia: non sunt ut membra viva, sunt ut membra mortua. Unde juxta eundem, sunt & non sunt in Ecclesia; sunt ut membra mortua, non sunt ut membra viva: nam eodem modo sunt & non sunt in Ecclesia, quo sunt & non sunt de Ecclesia, sicut vicissim eodem modo sunt & non sunt de Ecclesia, quo sunt & non sunt in Ecclesia. Hinc apparet sensus Apostoli dicentis, Non erant ex nobis & tamen ex nobis prodierunt: perinde enim est, ac si diceret: Non erant ex nobis ut membra viva, & tamen ex nobis prodierunt, quia in nobis & de nobis erant ut membra mortua: erant autem in nobis & de nobis ut membra mortua tantum, quia non erant in nobis & de nobis animo & voluntate, & sic non erant in nobis & de nobis, quia ut non verè, sed apparenter tantum fideles erant: nam si verè fideles fuissent, & non apparenter tantum, in Ecclesia permanissent, perseverando scilicet in christianæ fidei professiones. Ex his

R. 2. dist. ant. ad mentem S. Augustini. Apostolus hic asserit hæreticos, etiam ante apertum schisma, non fuisse de Ecclesia, ut membra corpus Ecclesiæ cum bonis constituentia, *C. ant.* cum enim occulti hæretici sint membra mortua, & non possunt concurrere ad constitutionem corporis vivi, quale est corpus Ecclesiæ, quod est Christi corpus. Apostolus hic asserit hæreticos etiam ante apertum schisma non fuisse de Ecclesia, nequidem ut membra corpori Ecclesiæ purè adherentia, *N. ant.* Quandiu enim hæretici sunt, tandiu cum bonis sensibilem & corporalem habent unitatem, per externam fidei Christianæ professionem, adeoque tandiu adherent corpori Ecclesiæ, quod ex bonis componitur, & adherent, ut membra in vero aliquo sensu; cum tandiu possint habere & exercere jurisdictionem puta episcopalem, & ita tandiu esse moralia Ecclesiæ organa. Et dist. conf. Ergo hæretici, etiam ante apertum schisma, non fuerunt in Ecclesia, ut membra cum bonis constituentia corpus Ecclesiæ, *C. confeg.* Ut membra corpori Ecclesiæ purè adherentia, *N. confeg.*

Prob. min. 2. ex Celestino I. cujus verba recitat Nicolaus I. in sua ad Michaellem Imperatorem epistola de potestate & dignitate Sedis Apostolicæ. Nam Celestinus ad Orientales Episcopos & ad Clerum Constantinopolitanum scribens, dicit, Nestorium, postquam hæresim suam prædicare cœperat, actus jurisdictionis episcopalis, quales sunt excommunicare laicos, & clericos deponere, exercere non potuisse in Ecclesia Con-

Simonnet Theol. Tom. II.

stantinopolitana. Atqui hoc dicendo, Celestinus manifestè supponit Nestorium exercere potuisse jurisdictionem episcopalem, quandiu non fuit manifestus hæreticus. Ergo Nestorius quandiu non fuit manifestus hæreticus, tandiu fuit in Ecclesia: ab eo enim qui non est in Ecclesia, in Ecclesia jurisdictionem aliquam exerceri posse repugnat. Ergo, &c.

Prob. min. 3. autoritate Patrum, pro quibus omnibus sit Augustinus. Sic autem loquitur lib. 4. de bapt. c. 10. *Si zizania sola dicenda sunt, que usque in finem in maligno errore perdurant, & fortis multa frumenta sunt, & intus multa zizania* (hoc est, multi hæretici manifesti, qui proinde foris seu extra Ecclesiam sunt ad veram fidem convertentur, & in ea usque in finem perseverabunt; & multi infideles occulti, qui proinde intus seu in Ecclesia sunt nunquam convertentur ad veram fidem, sed in infidelitate permanebunt ulque in finem) *at enim peiores (inquit) sunt exteriores (manifesti hæretici) quam interiores mali (infideles occulti) magna quidem questio est, utrum peior fuerit Nicolaus exterior jam, quam Simon adhuc interior, quia ille hæreticus (manifestus) sic magnus (& infideles occultus).*

In lib. de catechizandis rudibus c. 17. sic ait: *Sunt qui propterea volunt esse christiani, ut aut promereantur homines, a quibus temporalia commoda expectant, aut quia offendere nolunt, quos timent (certè tales non sincere, sed fictè tantum christianam fidem amplectuntur, adeoque non verè, sed apparenter tantum fideles sunt.) Sed isti reprobi sunt; & si ad tempus eos portat Ecclesia, sicut arca usque ad tempus ventilationis paleam sustinet: si non se correxerint... in fine separabuntur. Nec sibi blandiantur quod in arca possunt esse cum frumento Dei, quia in horreo cum illo non erunt, sed igni debito destinabuntur.*

Juxta S. Doctorem igitur, qui fictè & apparenter tantum fideles sunt, sunt in Ecclesia cum verè fidelibus & justis; cum hoc tamen discrimine, quod hi sint in ea ut frumentum Dei, quia si in fide, quæ per charitatem operatur, perseveraverint, horreum Dei congregabuntur, hoc est, in cœlo poterunt vita æterna: illi verò sint in ea ut paleæ, quia nisi ad veram fidem convertantur, tandem aliquando à supremo judice separabuntur, & projicientur ex arca, comburendi igne inextinguibili.

Prob. min. 4. ratione. Qui non est in Ecclesia, in Ecclesia nullam jurisdictionem habere potest, ut docent summi Pontifices, Celestinus I. & Nicolaus I. & cum illis SS. Patres communiter. Et verò, ut dicit S. Cyprianus epist. 58. ad Antonianum, *quisquis ille est, & qualiscumque est, christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est.* At certè eum, qui christianus non est, aliquam in Ecclesia habere jurisdictionem repugnat. Ergo si infideles occulti non sunt in Ecclesia, nullam in Ecclesia jurisdictionem habere possunt; & ita hoc ipso quod aliquis v. g. Parochus incidit in occultam hæresim, amittit jurisdictionem in foro interno: item hoc ipso quod aliquis Episcopus incidit in occultam hæresim, amittit dignitatem episcopalem, & omnem tam in foro interno quàm in externo jurisdictionem; quamvislibet exterius fidem christianam profiteatur, & in eorumdem sacramentorum participatione communicet cum fidelibus. Atqui hæ consequentiæ admitti non possunt; tum quia alioquin omnes actus, qui tam in foro interno, quàm in externo sine jurisdictione exerceri non possunt, essent incerti; cum primum sit hominibus internam fidem amittere; tum quia, quod Episcopus, quantumvis animum gerat hæreticum, dignitate & jurisdictione episcopali non excidat, nisi aut se ipse, in apertum schisma prorumpendo, separet, aut de hæresi convictus separetur, communissima sententia est.

Obj. 1. S. Augustinum lib. 3. de bapt. cap. 19. ubi loquens de occultis hæreticis, sic ait: Hujus autem fraternæ charitatis inimici, sive aperte foris sint, sive intus esse videantur, pseudo-christiani sunt & antichristi. Invenitis enim occasionibus, foras

Z.

excitant

exiunt ... sed etiam si occasiones desint, cum intus videntur, ab illa invisibili charitatis compage separati sunt. Unde Joannes dicit: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Ergo ex S. Augustino, hæretici occulti non sunt in Ecclesia, sed solum videntur esse in Ecclesia. Et ratio Doctoris est, quia occulti hæretici non sunt ex Ecclesia, quod probat ex verbis Joannis Apostoli.

R. Doctorem hic intelligere modum essendi intus, non qualemcumque, sed qui solis bonis convenire potest, nempe modum essendi intus per internum & spiritale charitatis vinculum, quo boni inter se colligati, corpus Christi, quod est Ecclesia, constituunt; unde sic sunt in Ecclesia, ut sint ipsum corpus Ecclesie, & sic sunt in domo Dei, ut sint ipsa domus Dei. Occulti autem hæretici non sic sunt intus; cum fraternæ charitatis inimici sint, adeoque separati ab illa invisibili charitatis compage, vi cuius boni sunt unum Christi corpus, una domus Dei, una Ecclesia, quæ quia ex solis bonis constituunt, de illa dictum est, quod sit columba unica, pudica & casta sponsa sine macula & ruga, hortus conclusus, fons signatus, paradisus cum fructu pomorum, &c. quod non intelligitur nisi in bonis & sanctis & iustis, ut ait S. Doctor lib. 6. de bapt. c. 3.

Occulti igitur hæretici non sunt intus, sicut sunt boni, sed solum videntur esse quia fraternam, à qua animo & voluntate alieni sunt, charitatem simulant, quandiu desunt occasiones illam impunè violandi: unde tandiu videntur pertinere ad illam invisibilem charitatis compagem, qua boni eadem sacramenta participant, & eadem christianam fidem exterius profitentes, unam Christi Ecclesiam componant. Quamvis autem occulti hæretici non sint intus in hoc sensu, in aliquo alio vero sunt, ut apparet ex eo quod, ut ait S. Doctor, inventis occasionibus, in apertum schisma prorumpunt, & prorumpendo foras exeunt; non possent autem foras exire per apertum schisma, nisi ante apertum schisma intus essent.

Obj. 2. eundem tract. 3. in epist. Joan. ubi sic loquitur: Omnes hæretici, omnes schismatici ex nobis exierunt, id est, ex Ecclesia exeunt: sed non exierunt, si ex nobis essent. Antequam exirent ergo, non erant ex nobis. R. S. Doctorem ibidem expresse asserere, quod occulti hæretici sint in Ecclesia: sic enim prosequitur: Si antequam exirent, non erant ex nobis; multi intus sunt, non exierunt, & tamen antichristi sunt. Audeamus hoc dicere: Ut quid? nisi ut unusquisque, cum intus est, non sit antichristus.

Cum ergo S. Doctor dicat occultos hæreticos non esse ex nobis, tantum vult eos non esse in corpore Ecclesie ut patres ipsum constituentes, & solum in eo esse ad eum prope modum, quo mali humores sunt in corpore humano: sic enim ibidem ait: Qui sunt intus (hæretici occulti) certe sunt in corpore Domini nostri Jesu Christi ... Sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali ... Dicit, quando eos evomit atque propicit corpus: Ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est, Non erant ex me? Non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant, cum inessent. Et inferius: De voluntate sua unusquisque aut antichristus, aut in Christo est; aut in membris sumus, aut in humoribus malis. Qui se in melius commutat, in corpore membrum est, qui autem in malitia permanet, humor malus est: & quando exierit, revelabuntur qui premebantur.

Dices. Saltem negat hic S. Augustinus, occultos hæreticos esse membra Ecclesie in ullo vero sensu. R. neg. Nam S. Augustinus hic tantum negat occultos hæreticos esse membra componentia: loquitur enim hic non de membris quibuscumque, sed solum de componentibus & constituentibus corpus Ecclesie, ut patet ex his verbis, quæ ibidem leguntur: Qui non est Christo contrarius, in corpore ipsius hæret (hoc est, permanet, &) & membrum computatur. Nunquam sibi sunt membra contraria: corporis integritas universis membris constat. Negat autem S. Doctor occultos hæ-

reticos esse in corpore Ecclesie ut membra componentia, quia corpus Ecclesie est corpus vivum, quod proinde non nisi membris vivis constare potest. Porro occulti hæretici non sunt membra viva, sed mortua & arida.

Dices. Juxta S. Augustinum, occulti hæretici in corpore Ecclesie tantum sunt, ut humores mali. R. neg. Nam S. Augustinus dicit quidem occultos hæreticos esse in corpore Ecclesie ut humores malos, at non dicit esse tantum ut humores malos. Juxta S. Doctorem, occulti hæretici (idem de aliis peccatoribus quibuscumque) sunt in Ecclesia, 1. ut palea in arca, frumento permixta, à frumento per ventilabrum separanda, & in ignem projicienda. 2. Ut vasa lignea & fictilia in magna domo, ad usus inglorios destinata. 3. Ut humores mali in corpore humano, quibus corpus humanum premitur, quibusque evomitur sublevatur. 3. Ut membra purè adhaerentia; nam juxta S. Doctorem, mali, quandiu eadem sacramenta participant, & eandem fidem profitentur cum bonis corpus Ecclesie constituentibus, tandiu cum illis unitatem habent corporalem, atque ita tandiu adherent corpori Ecclesie; & sic adherent, ut possint esse moralia illius organa, & sint quandoque, ut patet v.g. ex Parochis, vel Episcopis, qui occultè hæretici sunt, aut aliter mali. Unde juxta S. Doctorem, mali possunt esse, & quandoque sunt instrumenta conjuncta corporis Ecclesie. Instrumentum autem conjunctum corporis non potest non esse illius membrum, in aliquo vero sensu. Ergo juxta S. Doctorem, mali per sacramentorum communionem & fidei christianæ professionem corporaliter uniti cum bonis corpus Ecclesie componentibus, sunt in aliquo verò sensu membra corporis Ecclesie. Non sunt autem membra componentia: superest igitur, ut sint membra purè adhaerentia.

Obj. 3. Hæretici non sunt christiani. Ergo, &c. R. dist. ant. Hæretici manifesti non sunt christiani, C. ant. Hæretici occulti, N. ant. Nam nomen Christiani nomen est professionis: Christianus enim dicitur, qui veram Christi fidem profitemur: quod si corde non tenet, quod profitemur ore, malus christianus est, sed tamen christianus. Occulti igitur hæretici christiani sunt, quamvis mali christiani: unde in Ecclesia, & in aliquo vero sensu, de Ecclesia esse possunt, & sunt.

ARTICULUS X.

Quid sit Ecclesia.

R E S P O N S I O.

Ecclesia sufficienter describitur, Cætus hominum inter se conjunctorum ejusdem fidei christianæ professione, & eorundem sacramentorum communione, sub regimine legitimorum pastorum, & præsertim unius in terris Vicarii Christi Pontificis Romani.

Prob. Nam 1. hac descriptione includuntur omnes qui sunt in Ecclesia, & excluduntur omnes qui in Ecclesia non sunt. 2. Hac descriptio convenit soli Ecclesie, eamque ab omni alia societate discernit. 3. Ex hac descriptione Ecclesia non potest non esse visibilis: nam si hoc ipso quod quis christianam fidem profitemur, & sacramenta participat sub regimine Romani Pontificis, vel, si vis sub regimine pastorum subditorum Romano Pontifici, hoc ipso, inquam, is est in Ecclesia, & de Ecclesia, vel ut membrum vivum, vel ut membrum mortuum seu, quod eodem redit, vel ut membrum mortuum, vel ut membrum adhaerens; Ecclesia tam sensibilis est & palpabilis, quam Imperium Romanum & Regnum Gallie. Ergo, &c.

Exponitur jam hæc descriptio. Ecclesia igitur dicitur, 1. Cætus hominum inter se conjunctorum: nam Ecclesia Christi est multitudo una, unus populus, corpus unum, morale scilicet & politicum, proinde resultat ex morali conjunctione multorum hominum inter se. Dicitur 2. Ejusdem fidei professio-

fessione; & per hoc excluduntur ab Ecclesia infideles omnes, qui nunquam in ea fuerunt, ut Judæi, Mahumetani, & Pagani, item manifesti hæretici, & apostatæ. Dicitur 3. Communione eorum sacramentorum; & per hoc excluduntur ab Ecclesia catechumeni & excommunicati publicè ac nominatim: hi enim à sacramentorum participatione repulsi sunt, illi verò ad eam nondum admissi. Dicitur 4. Sub regimine legitimorum pastorum; & per hoc excluduntur ab Ecclesia schismatici, qui quidem veram fidem profitentur, & vera sacramenta participant, sed non subijciuntur legitimæ authoritati; unde non in Ecclesia, sed extra Ecclesiam veram fidem profitentur, & vera sacramenta participant.

Obi. Supposita hac descriptione Ecclesiæ ut bona, 1. homo non baptizatus potest esse in Ecclesia. 2. Excommunicatus, qui nimirum excommunicationem ipso facto incurrit, nec publicè ac nominatim denunciatus est, manet in Ecclesia. 3. Excommunicatus publicè ac nominatim, & manifestus hæreticus, possunt esse de Ecclesia. 4. Possunt etiam esse de Ecclesia Judæi, Mahumetani, & Pagani.

R. ad 1. hominem non baptizatum, de quo non constat quod non sit baptizatus, si fidem christianam profiteatur, & sacramenta participet cum debita subjectione ad prælatos Ecclesiæ, verè esse in Ecclesia, & de Ecclesia. Quod probatur ex Innocentio III. c. *Apostolicam*, extra de presbytero non baptizato; ubi interrogatur, qui sine unda baptismatis extremum diem clauserat, sic respondet, illum, quia in sanctæ Matris Ecclesiæ fide, & christiani nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, & celestis patriæ gaudium esse adeptum, asserimus incunctanter. Et in fine: *In Ecclesia tua iuges præces, hostiasque Deo offerri jubas pro presbytero memorato.* Ergo presbyter ille non baptizatus, in Ecclesia vixerat & decesserat: nemo enim salvari potest extra Ecclesiam, neque pro iis qui extra Ecclesiam moriuntur offerri possunt præces & hostiæ. Ergo, &c.

R. ad 2. eum, qui excommunicatione ipso facto incurrit, quandiu non denunciatur excommunicatus, esse in Ecclesia & de Ecclesia. Quod patet ex eo quod validè exerceat actus, ad quos iurisdic-tio requiritur, & quos proinde non posset validè exercere, si non esset in Ecclesia & de Ecclesia; nam qui extra Ecclesiam sunt, nullam in ea authoritatem & iurisdictionem habere possunt, ut probatum est. Excommunicatus igitur, sed non denunciatus, sicut ecclesiasticam iurisdictionem retinet de facto, non de jure: ita de facto, non de jure, in Ecclesia & de Ecclesia esse perseverat.

At inquit. Quem ergo in excommunicato non denunciato effectum habebit hæc excommunicandi formula, quæ habetur II. q. 3. *Canonica instituta, & sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores, auctoritate Dei & iudicio sancti Spiritus, à gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & à consortio totius christianitatis eliminamus, quoadusque respiciamus, & Ecclesiæ Dei satisfaciant.* *R. breviter,* hanc excommunicandi formulam privare excommunicatos non denunciatos, jure manendi in Ecclesia, & sacramenta participandi cum fidelibus, imò & cum illis etiam in civilibus præter casus exceptos communicandi.

R. ad 3. Hæreticum in uno loco manifestum, si alio in loco in quo ignotus est fidem catholicam profiteatur, & participet sacramenta sub regimine legitimorum pastorum, hoc ipso fore in Ecclesia. Idem planè dicendum de homine nominatim excommunicato in uno loco, si in alio in quo notus non est, similiter profiteatur catholicam fidem, &c. tunc enim in uno loco præcisus ab Ecclesia per sententiam excommunicationis, in alio iterum unitur Ecclesiæ per christianæ fidei professionem, & sacramentorum participationem, &c. & per hanc unionem iterum restituitur in Ecclesiam facto, non jure: non enim jure potest esse in Ecclesia, nisi à sententia excommunicationis absol-vatur: unde sententia excommunicationis in eum la-

Simonnet Theol. Tom. II.

ta in eum, quandiu non absolvitur, primum suum semper sortitur effectum.

R. ad 4. idem quod ad 3. *At inquit.* Si ita est, Ecclesia dici poterit cæsus hypocritarum, paganorum, Turcarum, &c. *R. neg.* Nam ejusmodi homines si sunt in Ecclesia, in ea valdè pauci sunt. 2. In Ecclesia semper magno numero sunt homines verè fideles, pii, sancti, & electi, à quibus denominanda est: cum denominatio sumenda sit à meliori parte, quando notabilis est. Denique dici potest, ad mentem S. Augustini, Judæos, paganos, &c. si qui sunt in Ecclesia propter fidei christianæ professionem, & communionem sacramentorum, &c. pertinere ad Ecclesiam in obliquo tantum, seu ut partes purè adherentes. Ex ejusmodi autem non aliter pertinentibus ad Ecclesiam, Ecclesia denominari non debet, sed ex solis iustis, qui ad eam pertinent in recto, & partes ipsam constituentes in esse corporis Christi, adeoque in esse verè Ecclesiæ. Pro quo

Nota. Ecclesia, ad mentem S. Doctoris, rectissimè describi potest, Cæsus iustorum, per internum fidei, spei & charitatis vinculum connexorum spiritaliter, atque insuper inter se & cum malis per christianæ fidei professionem & eorumdem sacramentorum participationem, sub legitimorum pastorum regimine corporaliter colligatorum. At pessimè sic describeretur. Cæsus malorum inter se & cum iustis, per christianæ fidei professionem, & participationem eorumdem sacramentorum, sub legitimorum pastorum regimine corporaliter conjunctorum.

Ratio evidens est: quia Ecclesiæ, secundo modo descriptæ, male convenirent ea omnia, quæ de illa passim dicuntur in Scripturis, ut quod sit corpus Christi, domus Dei, columba unica, pudica & casta, sponsa sine macula & ruga, hortus conclusus, paradisus cum fructu pomorum; ut etiam illud Cant. c. 2. *Sicut lilium inter spinas; sic amica mea inter filias;* & illud c. 4. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te, &c.* B contra verò hæc omnia Ecclesiæ, primo modo descriptæ, bene conveniunt.

DISPUTATIO VI.

De Ecclesiæ visibilitate, perpetuitate, & indefectibilitate à vera fide.

ARTICULUS I.

Utrum Ecclesia sit visibilis.

Ecclēsiā esse visibilem negat Lutherus lib. de abroganda Missa parte 1. ubi sic loquitur: *Quis Ecclesiam nobis monstrabit? cum sit occulta in spiritu, & solum credatur: credo Ecclesiam sanctam.* Idem negat Calvinus lib. 4. institut. c. 1. §. 7. *Nobis, inquit, invisibilem, solius Dei oculis conspicuam Ecclesiam (eam scilicet, quæ revera est coram Deo Ecclesia) credere necesse est.* Magdeburgenses cent. 1. lib. 1. cap. 4. duplicem fingunt Ecclesiam, unam falsam, & alteram veram. Falsam dicunt esse cæterum numerosissimum; & veram, cæterum plerumque exiguum, quia ad hanc illi soli pertinent, qui intrant per angustam portam, hoc est, qui veram pietatem colunt, adeoque Ecclesiam invisibilem constituunt. In hac autem duplici Ecclesiæ, quarum una vera est & invisibilis, distinctione, Magdeburgensibus prævit Calvinus loco citato. Sed contra novatores illos omnes cum omnibus catholicis sit

RESPONSIO.

Vera Christi Ecclesia visibilis est.
Prob. 1. ex Script. Nam legitur Act. c. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Et 1. ad Timoth. c. 3. *Hæc tibi scribo... ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari,*

L. 2. que